

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

AD METHODUM

DECRETALIIUM GREGORII IX EXACTAE

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

PHILIPPUS CANONICUS DE ANGELIS

Tomus Secundus — Pars Prima

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA DELLA PACE

Piazza della Pace 35

1878

PARISIIS
APUD P. LETHIELLEUX

Rue Cassette Num.° 4

1878

Eng. Runner

Roma, 1881-1882.

~~III T 14~~
9 13-D-148/2/1-2

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

LIBER TERTIUS
DECRETALIUM GREGORII IX.

PARS PRIMA

L'Autore si riserva il diritto di proprietà per la riproduzione e traduzione di questa sua opera sotto qualsiasi forma, avendo previamente adempito a tutte le formalità prescritte dalla legge.

Expositis iis, quae a B. Raymundo recensentur in Decretalibus Gregorii IX Libro Primo, gradum facimus ad explanationem tradendam Libri tertii, quarti, et quinti; et nonnisi ultimo loco expendemus, quae libro secundo traduntur. Si aliquantulum nos recedimus ab ordine servato a Sancto et Docto Viro, ignoscent Discipuli et Lectores; neque enim nobis visum est apte posse loqui de forma judiciorum ecclesiasticorum, nisi prius objectum judiciorum eorumdem recte dignoscatur, nempe res Ecclesiae. Accedit optime nos facturos, si uno eodemque tractatu, diversis licet partibus, tradamus methodum in foro ecclesiastico usitatam circa judicia tum civilia tum criminalia, atque ita in ea tractatione includamus nonnullos titulos, qui inveniuntur in Libro Quinto Decretalium. Quois praenotatis ad Libri Tertii expositionem accedimus.



Sub nomine Clericorum
 Clerici saltem tonsurati
 Monachi et Conversi
 noviti ordinis ab Eo. approbati.
 Eximio Duarum^o classum sequentium.

Officium Eremitarum. ¹²
 Regulari ut Augustini, in quo est superior
 mysticis ordinis factum. Eremitarum est habitus
 tan sacerdoti. ab Ep. acceptum et manum lavari
 qui auctoritate privatis indunt habitum.

5. libri Secretarum
 Judaei Judicium Christi. Composita. Chronica.

Titulus I. De vita et honestate Clericorum.
 In hoc libro antequam B. Raymundus agat de rebus Ecclesiae, nonnulla praemittit de obligationibus Cleri, et hoc praestat primis quatuor titulis. Clerici autem nomine, proprio sensu venit « persona specialiter Deo ejusque cultui mancipata per susceptionem ordinis ecclesiastici, vel saltem per primam tonsuram. » Sed in materia favorabili atque respiciente honorem personarum, quae Deo dicatae specialiter sunt, hic veniunt omnes personae religiosae utriusque sexus, quae sub regula a S. Sede approbata Deo deserviunt; quin imo ex communi calculo Doctorum eremitae quoque, saltem illi, qui habitum de manu Episcopi, vel Praelati Regularis susceperunt deputati servitio Ecclesiae alicujus vel Oratorii, in iis, quae spe-

TITULUS I.

De vita et honestate Clericorum.

1.º In hoc libro antequam B. Raymundus agat de rebus Ecclesiae, nonnulla praemittit de obligationibus Cleri, et hoc praestat primis quatuor titulis. Clerici autem nomine, proprio sensu venit « persona specialiter Deo ejusque cultui mancipata per susceptionem ordinis ecclesiastici, vel saltem per primam tonsuram. » Sed in materia favorabili atque respiciente honorem personarum, quae Deo dicatae specialiter sunt, hic veniunt omnes personae religiosae utriusque sexus, quae sub regula a S. Sede approbata Deo deserviunt; quin imo ex communi calculo Doctorum eremitae quoque, saltem illi, qui habitum de manu Episcopi, vel Praelati Regularis susceperunt deputati servitio Ecclesiae alicujus vel Oratorii, in iis, quae spe-

In 30 1^o tit. de C^o Clericorum singularium vel
 reliquorum regularium

ctant ad vitae honestatem, et privilegia, de quibus omnibus nunc sermo erit.

2.° Honestas haec vitae, si omnium hominum, et maxime christianorum propria esse debet, quippe quae ab ipsa rationali natura exigitur, peculiari tamen ratione elucere debet in Clero, et Canones potiori jure requirunt, ut Clericorum vita prae laicis omnibus emicet. Cum autem honestas haec sit et *interna* et *externa*, vix est quod Canones de interna loquantur, eam reservantes disciplinae morali, proinde toti sunt in praescribenda honestate externa. Et quod de interna vix loquantur, ratio in promptu est, cum judicio Ecclesiae externo ista generaliter non subjiciantur, etsi non intermittant Canones illam inculcare. Sic de rectitudine intentionis in suscipiendo statu ecclesiastico loquitur Concilium Tridentinum *sess. 23 cap. 4° de reform.*, de sacris muneribus pariter suscipiendis loquitur *cap. 14 de elect. in VI°* per verba « *quod si intra idem tempus etc.* » et *cap. 35 de elect. in VI° § Caeterum*, quae tamen praescriptio procedit in beneficiis curatis tantum, non vero in aliis inferioribus, ut dictum est *Libro I° Titulo XIV*. Honestas haec interna pariter exigit in Clericis puritatem conscientiae et exercitium virtutum omnium, ac sui ministerii adimplementum, quo ut fungantur pleniori attentione statuta sunt Decreta *can. 29 et 30 De Consecrat. Dist. 2^a, cap. 1 h. t.*° et a Benedicto XIII in Concilio Romano *Tit. 28 de Immunitate Cap. 4°*, quae omnia re-

feruntur a Giraldi *Expositio Juris Pontificii Par. 1^a sect. 310*. Circa quae Decreta notandum est, ea generaliter esse servanda, sed poenam interdicti propositam a Benedicto XIII cessasse utpote non relatam in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » de *quarto Idus Octobris anni 1869*.

3.° Fusior est Canonum stylus quoad honestatem vitae externam Clericorum. Ea omnia complete, et generali ratione indicuntur a Concilio Tridentino *Sess. 22 cap. 1° de reform.*, in quo omnes veteres canones statutos de vita et honestate Clericorum innovat, et si qui in desuetudinem abierunt, eos quamprimum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri, ut Episcopi studeant, inculcat. Rationes omnium istarum constitutionum juxta Concilium Tridentinum *in cit.° cap.°* aliisque locis sunt istae, nempe — 1^a Ecclesia a Clericis potest exigere, ut eorum honestas vitae emicet prae caeteris, cum ipsi a rebus saeculi in altiore sublati sint locum, et prae laicis multis privilegiis condecorati. Quod revera sint Clerici multis privilegiis ornati, id in hoc loco vix indicatur, cum fuse in aliis titulis demonstrari et exponi debeat. Praeter beneficiorum et munerum ecclesiasticorum investituram ac possessionem, quae exclusive pertinet ad Clericos, isti fruuntur privilegiis *fori, canonis, competentiae, et immunitatis*, prout ex Legislatione ecclesiastica plane dignoscitur, et de quibus in praenotatis titulis loquimur. Pariter — 2^a maxime utile est, ut Cle-

rici hanc perspicuam vitae honestatem servant, cum laici in eos tamquam in speculum oculos conjiciant, ex iisque sumant quod imitentur. Ex quibus concludit Concilium Tridentinum: « Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda; statuit S. Synodus, ut quae alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comestrationibus.... fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum... observentur. »

4.° Quae vero a Canonibus circa honestatem vitae Clericorum decreta sunt, reducuntur ad haec sequentia. Juxta Canones externa honestas Clericorum consistit — 1° *in vitae probitate*: — 2° *in decentia habitus*: — 3° *in abstinentia ab aliquibus officiis*. — *Vitae probitas* importat — (a) *caste et caute vivere ex cap. 13 h. t.°*: hinc vetatur Clericis conversatio cum suspectis mulieribus, ut titulo sequenti explicabitur; interdicitur pariter frequens accessus ad monasteria Sanctimonialium sine manifesta et rationabili causa *ex cap. 8 h. t.°* Ad cujus capitis intellectum tenendum est, Episcopum contra aliter facientes posse procedere etiam interminatis censuris, ut habetur ex pluribus decisionibus S. Congregationis Concilii praesertim in *Viterbiens. diei 26 Junii 1627*. Item Episcopum posse id interdicare personis in dignitate ecclesiastica constitutis, alienis quoque Epi-

scopis, Vice-Legatis etc., prout praecipit Benedictus XIV in *Epistola Decretali* quae incipit « *Gravissimo* » *diei 31 Octobris 1749*. — Regularibus autem quemcumque accessum etiam non frequentem interdicti cum Monialibus absque licentia Episcopi sub poena excommunicationis aliisque ab Episcopo infligendis ex Decreto S. Congregationis Concilii *diei 11 Maii 1669* approbato a Clemente IX. A qua excommunicatione nequeunt Regulares absolvi a suis superioribus; sicuti nec ipsae Moniales, si Episcopus in decreto de ipsis fecerit mentionem, ut pluribus demonstrat Giraldi *op. et part. cit.° sect. 317*. — (b) *Abstinerere a crapula*, ut inhibetur *cap. 14 h. t.°*: hinc ipsis prohibetur adire hospitia, nisi in itinere *cap. 15 h. t.°*, et vetantur interesse choreis aliisque spectaculis mimorum jocularum etc. Inhibentur pariter ludi alearum, taxillorum et aliorum merae sortis, nisi fiant moderate et privatim. Hic autem animadvertendum est, quod habet Benedictus XIV in Opere *De Synodo Dioecesa* *Libro X Cap. 2° num.° 2°*, nempe a S. Congregatione Concilii sub *die 20 Decembr. 1687* fuisse correctum decretum synodale Episcopi Vasionensis, quo sub poena excommunicationis latae sententiae prohibebantur Sacerdotes ludere aleis et taxillis quocumque modo et cum quibuscumque personis, cum haec poena nimis rigorosa videretur. — (c) *Abstinerere ab avaritia*; hinc *ex cap. 10 h. t.°*, aliisque juris dispositionibus sententiae venales quaecumque quoad

Ecclesiasticos prohibentur, et si aliis iudicibus, a fortiori Clericis inhihetur quod damnatum est ab Alexandro VII in *propositione 26 sub die 24 Septembris 1665* hujus tenoris: « quando litigantes » habent pro se opiniones aequae probabiles, potest » iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia » favore unius prae alio. » Cetera jam fuerunt exposita in *Titulo XXXII Libri I.*¹

5.° Nunc de habitus decentia loquendum est. Clerici in sacris constituti, et beneficiati etiam si minoribus tantum ordinibus initiati existant vestem ordini suo congruentem et tonsuram seu coronam deferre debent ex *cap. 15° h. t.°, Clementin. extravag. 2^a h. t.° et Concilio Tridentino sess. 14 cap. 6° de reform.* Sub nomine autem beneficii, venit quodcumque etsi tenuissimum illud sit, non vero pensio, nisi haec superet proventum sexaginta scutatorum aureorum de camera, ut ex Constit. Sixti V quae incipit « *Pastoralis* » *diei 31 Januarii 1589* et declaratione S. Congregationis Concilii *diei 4 Septembris 1677*. Ratio clarissima datur a Concilio Tridentino *loc. cit.°,* nempe: « Et si » habitus non faciat monachum, oportet tamen » Clericos vestes proprio congruentes ordini semper » deferre, ut per decentiam habitus extrinseci » rum honestatem intrinsecam ostendant. » Poenae in contrafacientes sunt: si sint Clerici majores non beneficiati, postea quam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti, non pareant, per suspensionem ab ordinibus coerceri possunt. Pro

Clericis vero beneficiatis sive majoribus sive minoribus juxta *Constitut. Sixti V. « Cum Sacrosanctum » diei 9 Januar. 1589* esset privatio beneficiorum, vel extinctio pensionum *ipso facto*. Sed post *Constitut. Benedicti XIII « Catholicae Ecclesiae » diei 2 Maii 1725* hanc incurrunt post sententiam declaratoriam juris ordine servato; interim tamen sic incedentes fructus et proventus non faciunt suos, quamvis nulla praecesserit Ordinariorum citatio, monitio vel actus judicialis, sed omnes in commodum fabricae Ecclesiae, in qua erecta sunt beneficia, sub poena lethalis culpae restituere tenentur, sublata etiam Majori Poenitentiario facultate eos condonandi. Quam tamen facultatem in casibus occultis eidem Majori Poenitentiario concessit *Benedictus XIV Constitut. « Pastor Bonus » § 24 diei 13 Aprilis 1744.* — Clerici minores quamvis non habeant beneficium, si tamen volunt privilegio fori gaudere debent ex *Concilio Tridentino sess. 23 cap. 6° de reform.* habitum et tonsuram gestare praeter servitium impendendum alicui Ecclesiae, juxta modum, quem exposuit idem *Benedictus XIV. De Syn. lib. 12 cap. 6° num.° 5° et 6°;* secus etiam nulla praecedente monitione remanent fori privilegio spoliati, ut *S. Congregatio Concilii censuit in Mediolanen diei 11 Augusti 1595 Lib. 8 Decretor. pag. 41.* Haec vero locum non habent si habitus et tonsura ad breve tempus deponatur, ut tenuit *S. Congregatio Concilii die 6 Octobris et 1 Decembris 1612,* et *Innocentius XIII Con-*

stitut. « Apostolici Ministerii » diei 13 Maii 1723, quemadmodum si ex aliqua legitima impendente causa id fiat. Licet autem Clerici minores non beneficiati si habitum et tonsuram non gestent, amittant fori privilegium, reliqua tamen privilegia servant, dummodo caelibes, ut habetur ex responso S. Congregationis Concilii *diei 3 Decembris 1622 Lib. 12 Decretor. pag. 115*. Hoc tamen fori privilegium recuperat Clericus, si postea quam clericatui omnino renuntiaverit animo v. gr. contrahendi matrimonium, vel dando nomen militiae, deinde, mutato consilio, habitum clericalem reassumat, ut tenuit S. Congregatio Concilii in *Neapolit. mense Junio 1587*, et *Melitens. diei 7 Maii 1672 ex Lib. 27 Decretor. pag. 379*, dummodo in fraudem id non faciat, ut limitaverat S. Congregatio Concilii in *Nuscana diei 19 Decembris 1584*. Quando vero sit *reassumere in fraudem*, exponit Benedictus XIV *cit. op. Lib. 12 cap. 3° num.° 1°*, ubi *sub num.° 4°* monet qua ratione Episcopi eas fraudes valeant impedire per edictum, subsequentes trinas monitiones, et sententiam definitivam.

6.° Praecitati canones nihil determinant de forma vestis clericalis. Talarem vestem a Clericis esse deferendam praecipit Sixtus V d.ª Constitutione « *Cum Sacrosanctum* » sub poenis contra eos Clericos statutis, qui vestem clericalem non deferrent. At licet haec Sixtina Constitutio correcta aut temperata expresse non sit, sequentes tamen

Romanorum Pontificum Constitutiones non institerunt in veste talari, at tantummodo poenas comminatae sunt contra Clericos deferentes vestes laicales, ut patet ex Constitutione Benedicti XIII « *Catholicae Ecclesiae* » jam citata. Moderationi huic accessit usus et praxis timoratorum, et tolerantia Pontificum ac Praesulum, ut constat ex Benedicto XIV *Instit. eccles. 21, 34 et 71*, in quibus obligavit Clerum Bononiensem ad deferendam vestem talarem tantum cum Missam essent Sacerdotes celebraturi, et in divinis officiis. At si Episcopus exigeret sub certis poenis talaris vestis delationem, nullatenus possent Clerici contravenire, cum Concilium Tridentinum *cit.° cap.°* remittat iudicio Episcoporum statuere quatenam vestis ordini et dignitati Clericorum conveniat, ut demonstrat Benedictus XIV *De Synod. Lib. XI cap. 8.°*

7.° Decentia habitus deinde importat, ut Clerici comam et barbam non nutrant ex *cap. 4°, 5° et 7° h. t.°* Qui tamen canones sic explicantur, ut Clerici non debeant barbam et comam nutrire more profano. Quod si fiat, etiam inviti, olim ab Archidiacono, hodie ab Episcopo vel Vicario Generali tonderi jubeantur; et nisi id patiantur, ob contumaciam demum excommunicari possunt ex *cap. 4° h. t.°* Id tamen non importat, ut interdenda sit quaecumque barbae et comae cura, prout juxta diversas consuetudines locorum fieri assolet; nec punitioni erit locus, nisi habeatur notabilis excessus. Huc refertur vetita delatio comae adsci-

titiae, vulgo *Perucca*. Haec interdicta est Clericis et Sacerdotibus a Benedicto XIII in Concilio Romano *Titulo XVI^o cap. 3^o*, nec hodie eâ uti possunt Clerici et Sacerdotes extra Missarum celebrationem absque licentia Episcopi, ita ostendente Benedicto XIV *Instit. eccles. 34 § 4^o et 96 num.^o 5^o*: delatio vero ejus in actu celebrationis Missae adeo vetita est, ut nec Episcopus nec Legatus Apostolicus facultatem possit impertiri, sed tantum Romanus Pontifex, ut constat ex declaratione Innocentii XII relata in cit.^a *Institut. Eccles. 34* Benedicti XIV, et hanc facultatem hodie largitur Summus Pontifex per Secretarium Brevium. Huc pariter refertur vetita anuli delatio, de qua loquitur *cap. 15 h. t.^o* et Benedictus XIII in Concilio Romano *Tit. XVI cap. 3^o*. Advertit autem Giraldi *op. cit.^o part. 1^a sect. 324* hanc anuli delationem esse interdictam Sacerdotibus et Abbatibus non benedictis in celebratione Missae, sicuti et Prototariis Apostolicis non participantibus, Doctoribus et Canonicis Ecclesiarum Cathedralium ex decreto S. Rituum Congregationis *diei 13 Februarii 1625*; Canonicos autem alio decreto *diei 4 Augusti 1663* posse uti anulo aureo sine gemma aut effigie. — Arma pariter gestare Clericis esse interdictum constat ex *Cap. 2^o h. t.^o* et *Clementin. extrav. 1^a h. t.^o*, sub poena excommunicationis ferendae sententiae, nisi id fiat ad propriam securitatem in periculoso itinere, vel ex alia gravi ratione *Pirhing hic num.^o 22*. Religiosi vero arma retinentes intra septa mo-

*Doctrinae huius anulum defone Pontificali
ex Decret. S. Cong. Rituum 18 Julii 1845.*

nasterii absque licentia superioris, *ipso facto* sunt excommunicati ex *extravag. Clementin. 1^a De Statu Monachor.*

8.^o Demum agendum est de *abstinentia ab aliquibus officiis*. Clerici nonnulla officia vel artes nequeunt exercere, sive — 1^o quia nimis animum a rebus sacris distrahunt; vel — 2^o quia offendunt lenitatem; vel — 3^o propter earumdem vilitatem, qua honorem Clericatus offendunt. Ad primam speciem reducitur negotiatio, de qua tamen specialissime agetur *Tit.^o L istius Libri*. — Ad alteram speciem pertinet militia; et Clericis eam esse interdictam arguunt Doctores ex *Can. 55 Distinct. 50 et can. 1^o Distinct. 51 in Decreto*; in quibus Canonibus praecipitur, ut in Clerum non admittatur qui post receptum baptismum cingulum militiae saecularis habuerit, unde militiam saecularem habent canones adversam seu oppositam militiae ecclesiasticae propter saevitiam istius artis; ac proinde Clericum militiam saecularem exercentem retinent eo ipso clericalia privilegia amisisse, et beneficia ipsius vacare saltem post sententiam declaratoriam Episcopi, ut benignior tenet sententia Doctorum apud Card. De Luca *Adnotat. ad Concilium Tridentinum Discurs. 24 num.^o 38*. Haec tamen non verificantur, quando Clerici per jussum potestatis civilis coguntur militare; quod jure ne an injuria fiat, expendemus *Titulo XLIX hujus Libri*. — Prohibetur pariter Clericis, ut nec cooperatorum sint neque adsistentes spectaculis sangui-

nolentis, de qua re tamen agitur in expositione *Tituli XIII De Torneamentis Libri Quinti*. Sicut prohibetur Clericis carnificem vel lanionem agere ex *Clement. extrav. 1^a h. t.^o*—Ad tertiam speciem referuntur omnes viles artes, quae Clericis interduntur, sive quae etiam honeste, sed non sine sorde valeant exerceri, sive quae vix sine peccato frequentari et agi possint; ut esset agere cauponam, de qua loquitur *extravag. Clement. 1^a h. t.^o*, et Clemens XIII in *Epistola Encyclica diei 17 Septembris* 1759, in qua Ordinariis locorum auctoritate quoque delegata concedit « in hoc rerum » genere inordinata quaeque corrigere et reformare. » Sic pariter esset officium joculatoris et histrionis, de quo *cap. 15 h. t.^o*, et *cap. unic. h. t.^o in VI^o*: quam artem si Clericus per annum integrum exercuerit, ipso jure privatur cunctis privilegiis clericalibus; si tempore breviori, tunc post trinam monitionem non resipiscentes pariter iisdem privilegiis exuentur. — In *cap. 12 h. t.^o et extrav. comm. unic. h. t.^o* prohibetur ne in Ecclesia fiant ludi theatrales praesertim a Clericis cum monstris larvarum, et *extrav. comm. unic. h. t.^o* prohibentur musicae in officiis divinis. Sed quoad has duas res sicut consulendum est honestati et decori Ecclesiarum, sic pariter nimius rigor cavendus est. Enimvero quod pertinet ad musicam, prohibentur vanae et lascivae in Ecclesiis, non autem quae melode sua et harmonia fidelium devotionem juvant: et quoad hoc probe legenda est Epistola

Encyclica Benedicti XIV quae incipit: « *annus, qui hunc vertentem* » § 3^o et seqq. diei 21 Februarii 1749. Circa alterum autem attendendum est quod ait hic Schmalzgrueber *num.^o 46*: « Ludi honesti, » et maxime pii, qui ad devotionem excitant hoc » textu non prohibentur etiam in templis exhiberi, » ut notat glossa in *cap. 12 v. monstra larvarum*. » Et ut subsumit Reiffenstuel hic *num.^o 141* « non » prohibentur in Templo fieri repraesentationes » rerum piarum, ac mysteriorum fidei catholicae; » ut puta repraesentando Praesepe Domini, Se- » pulchrum Christi, vel Ascensionem Ipsius, aut » hujusmodi, quae sunt idonea ad excitandam in » hominibus devotionem, ad recolenda mysteria » fidei, non ad provocandam lasciviam, voluptates, » aut risus. »

TITULUS II.

De cohabitatione Clericorum, et Mulierum.

1.º Appendix hic est Tituli praecedentis, ut jam supra inuimus, et in hoc pertractatur quaestio de vetita vel non cohabitatione Clericorum et mulierum. Regula canonica hac super re tradita est a Concilio Nicaeno *cap. 3* relato a Gratiano *can. 16º Distinct. 32* in Decreto his verbis: « In- » terdixit per omnia Synodus, non Episcopo, non » Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui » in Clero est, licere subintroductam habere mu- » lierem, nisi forte, aut matrem, aut sororem, aut » amitam, aut etiam eas idoneas personas, quae » fugiant suspiciones. » Quam conciliarem constitutionem retinuit quoque Innocentius III *cap. 9 h. t.º* Unde potest haec conclusio erui, nempe Clericis esse interdictam cohabitationem cum mulieribus

suspectis, quales non sunt generaliter loquendo consanguineae vel affines in primis saltem gradibus, et etiam aliae extraneae, quae et ratione aetatis jam provectae et ratione laudabilis vitae quasque fugiant suspiciones. Neque obstat *caput I h. t.º* in quo interdicitur cohabitatio Clericorum cum quacumque muliere etiam cum ipso conjuncta in primis gradibus consanguinitatis; nam optime fit conciliatio istius *cap. 1* cum *cap. 9 h. t.º* a Benedicto XIV *De Syn. Lib. XI cap. 4 num.º 7º*, cum ait regulam generalem ab Episcopo in suae dioecesis administratione observandam tradi in *cap. 9º*, exceptionem vero pro quibusdam casibus extraordinariis et omnino peculiaribus haberi in *cap. 1º*, et deinde pergit: « Quamobrem, licet in » Dioecesi contingat turpe incestus flagitium semel, » aut iterum ab uno aut altero Clerico perpetrari, » non idcirco fas erit Episcopo a communi regula » recedere, et non sine populi admiratione ac » scandalo, quasi omnes haberentur ejusdem enor- » mis criminis aut rei, aut suspecti, statim edi- » cere, ne ullus in posterum Clericorum cum nepte, » amita, sorore, aut matre cohabitet: sed si quem- » quam reperiat dubiae famae, cujus cum consan- » guinea contubernium etiam apud probos et » prudentes viros male oleat, illi, cui certe con- » gruit regulae limitatio, separationem injungat, » ea tamen adhibita circumspectione, et cautela, » quam rerum circumstantiae exposcunt, ne de- » lictum, quod latet, patefiat. Non propterea illam

» constitutionem improbamus, qua Episcopus om-
 » nem cum mulieribus cohabitationem Clericis in-
 » terdicat, nisi ipse prius earundem qualitatibus
 » examinatis, illas prava suspicione vacare com-
 » pererit: hoc quippe aliud non esset, quam sibi
 » decernendum reservare, num haec vel illa foe-
 » mina cadat in censuram, an potius in limita-
 » tionem regulae Nicaenae ab Innocentio III inno-
 » vatae. » Practicum demum modum agendi a se
 servatum cum esset Archiepiscopus Bononiensis
 exponit, quem sequendum esse ab universis Epi-
 scopis optandum esset, et est his verbis declaratus:
 « Ejusmodi S. Caroli edictum, plurimum tamen
 » mitigatum, Nos servari praecepimus a Parochis
 » Nostrae Bononiensis Dioecesis, quibus convivere
 » permisimus cum foeminis usque ad tertium con-
 » sanguinitatis et primum, ac interdum secundum
 » affinitatis gradum sibi conjunctis; caeterarum
 » vero nomina ad Nos deferri jussimus, ut earum
 » conditione inspecta, deliberaremus, an sine ullius
 » offensione possent Parochorum aedes incolere. »

2.º Regula ista canonica ideo praecipit Cle-
 ricis non esse habitandum cum suspectis mulie-
 ribus, tum propter scandalum, tum propter pro-
 ximam peccati occasionem, et qui contra agunt
 Clerici, vocantur et habentur ut concubinarij, quo-
 rum poenae mox indicabuntur. Concubinarij pro-
 inde Clerici sunt vocati non modo illi qui turpiter
 cum aliqua foemina viverent, sed et qui suspectae
 mulieris cohabitationem servarent; imo et qui cum

suspecta muliere consuetudinem et familiaritatem
 servarent, quamvis eam domi non haberent, sed
 ad eam accedere consuevissent ex *cap. 2º h. t.º*
 Et etiamsi hanc consuetudinem aut cohabitationis,
 aut frequentis accessus cum diversis mulieribus
 suspectis servassent, semper tamen habentur ut con-
 cubinarij seu fornicarij ex *cap. 3º h. t.º*, et melius
 patebit ex afferendis textibus Concilii Tridentini:
 ex quibus constat Clericos retinentes concubinas
 sive continuo, seu vage etiam extra proprias do-
 mos, vocari concubenarios aut fornicarios, quid-
 quid in contrarium senserit Garzias *De Beneficiis*
part. IIª cap. 10 num.º 186, ut optime notat
 Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 332 Nota I.ª* Nec
 canones absque poenarum animadversione id prae-
 scripserunt; hae tamen poenae non eaedem fuerunt
 quovis tempore, sed omnino diversae. Jure enim
 antiquo ecclesiastico usque ad saeculum XII, nempe
 usque ad tempora Alexandri III contra Clericos
 concubenarios seu fornicarios contumaces poena
 erat perpetua depositio, seu a Clero dejectio, uti
 constat ex utroque jure, civili et canonico, nempe
Leg. 45ª Codic. De Episcop. et Cleric., et ex
Epistola 26. Gregorii Magni ad Januarium Epi-
scopum Calaritanum, quidquid dicat Canon 5 Di-
stinct. 82 in Decreto, qui est imperiti Auctoris,
 ut probat Berardi *ad Canones Gratiani genuinos*
Tom. 1º part. Iª Cap. 21 de Concilio Hibernensi.
 Saeculo vero XII sub Alexandro III quoad poenas
 hic ordo servari coepit, ut concubinarij Clerici

suspenderentur ad certum tempus ab officio et beneficio; crescente vero deinde contumacia post trinam monitionem a communione quoque fidelium arcerentur, ut statuitur *cap. 3°, 4°, 5°, et 6° h. t.* Et praesertim *cap. 3° h. t.* praecipitur hos Clericos non esse cogendos ad abjurandas concubinas, ne committant quoque crimen perjurii. Nunc vero praxis alia post Concilium Tridentinum invaluit, et est sequens diversa pro diversitate personarum. Quatuor enim casus dari possunt: — 1° de Clericis majoribus vel minoribus non habentibus beneficium: — 2° de iisdem Clericis majoribus vel minoribus habentibus beneficium non-curatum: — 3° aut de Clericis habentibus beneficium curatum: — 4° aut demum de Praelatis et Episcopis. Pro primo casu Concilium Tridentinum *sess. 25^a cap. 14 de reform.* haec habet: « Clerici vero beneficia ecclesiastica non habentes juxta delicti » et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab » ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab » ordine, ac inhabilitatis ad beneficia obtinenda, » aliisque modis juxta sacros Canones puniantur. » Quod importat, ut pro prudentia Episcopi istae poenae eis applicentur, attenda qualitate delicti, et contumaciae in eo. Pro secundo casu Concilium Tridentinum procedendum esse ita proponit, ut post primam admonitionem nisi se Clerici abstineant, tertia parte fructuum, obventionum, vel pensionum omnium sint ipso facto privati, piis locis arbitrio Episcopi applicanda; quae tamen poena

privationis fructuum non obligat in conscientia ante declarationem, licet sit latae sententiae, ut docet P. Thesaurus *de poenis ecclesiast. cap. 4° v. Concubinatus*. Quod si secunda monitio inanis sit, omnes fructus amittunt Clerici, et suspenduntur ab administratione eorundem beneficiorum. Si vero post tertiam monitionem contumaces perseverant, privantur iisdem beneficiis, et inhabiles redduntur ad alia quaecumque habenda. Demum contumacia stante excommunicantur. Hae autem poenae, ut dictum est dantur non solum Clericis, qui concubinas seu fornicarias mulieres secum retinent, sed iis quoque, qui simpliciter sunt incontinentes, dummodo tales cum contumacia sint cum diversis quoque mulieribus, ut docent verba Concilii « *in domo, vel extra detinere, aut cum* » *iis ullam consuetudinem habere audeant.* » Nec necesse est notorium esse concubinatum vel incontinentiam, dummodo probari possit *suspicio notoria* incontinentiae vel concubinatus, deferente fama; ita ut Episcopus *sine strepitu et figura judicii, sed sola facti veritate inspecta procedere possit* post monitiones. A Concilio Tridentino autem jubetur, ut istae causae non videantur ab Archidiacono, seu Decanis aut ab aliis inferioribus iudicibus, sed ab Episcopis, et isti procedant *etiam uti Apostolicae Sedis delegati*. — Advertendum ultimo est has monitiones debere esse personales, et hunc ordinem servari inviolabiliter debere; secus Clerici non privantur sed spoliantur, et possunt petere

restitutionem; hunc enim ordinem sequi Concilium decrevit. — Quoad tertium casum diversimode mandat procedi Concilium Tridentinum *sess. 21 cap. 6°* § *Eos vero, qui turpiter etc.*, ut postquam isti Parochi praemoniti fuerint coerceantur et castigentur; si vero adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent, Episcopi eos beneficiis juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione, et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant. — Quoad quartum tandem casum Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 14 cit.°* jubet, ut si Episcopi, quod absit, ab hujusmodi crimine se non abstinerint, et a Synodo Provinciali admoniti se non emendaverint (supplente Metropolitano admonitionem, si Synodus Provincialis non fuerit celebrata, aut antiquiore Suffraganeo contra Metropolitanum in eadem hypothesisi) ipso facto sint suspensi, et si perseverent, etiam ad Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur (aut in alio casu a Metropolitano, vel antiquiore ex Suffraganeis), qui pro culpae qualitate, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertet.

3.° Quisque videt hic nos non fuisse locutos de simplici fornicatione semel vel bis admissa, quae habitum redolere non videatur; haec enim potest aliis poenis mulctari ab Episcopo, sed hunc processum secum non fert, nec involvit contumaciam. — At quaeritur nunc, utrum suspensus sit Clericus concubinarius ipso jure, ita ut celebrando fiat irregularis? Hanc vero poenam non incurri

constat ex jam citatis textibus Concilii Tridentini, et probat Fagnanus *ad cap. 7 h. t.°*, sed tantum id verificatur de Episcopis, qui ex *cap. 14 sess. 25* Concilii Tridentini suspenduntur *ipso facto*, si post monitionem a suspecto mulierum consortio non destiterint. Unde probe intelligenda sunt verba *cap. 10 h. t.°*: scilicet Presbyterum non posse licite cum peccato mortali celebrare conscientia refragante, non vero quod suspensus sit vera suspensionis poena ecclesiastica, quae audentem celebrare faciat irregularem, antequam a suspensione liberetur.

4.° Quaeritur ultimo, num hodie vitandus sit Sacerdos concubinarius quoad Missae celebrationem, quando est notorius, quemadmodum veteribus canonibus erat praescriptum? Et dicendum est hac poena mulctatos esse Presbyteros concubinarios notorios notorietate facti a Nicolao II in Synodo Romana celebrata anno 863 per verba relata a Gratiano *can. 5 Distinct. 33*: « Nullus » Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam » indubitanter habere, aut subintroductam mulierem, » et ab Alexandro II anno 1063, ut refertur *Can. 6° Distinct. 33*, nec non ab Innocentio II *Can. 5° Concilii Rhemensis* ab eo celebrati anno 1131, nec non in Concilio Lateranensi II ab eodem Innocentio II celebrato anno 1139 *Can. 7.°* Haec autem omnia cessaverunt per Constitutionem Martini V « *Ad evitanda:* » unde hodie, quemadmodum loquitur Fagnanus *ad cap. 7 h. t.°*, Clericus con-

cubinarius notorietate facti seu per operis evidentiam dicitur toleratus, nec ante denuntiationem est suspensus quoad alios, ut non liceat cum eo communicare in divinis et in perceptione Sacramentorum. Imo hodie post Constitutionem « *Apostolicae Sedis* » haec suspensio *ipso facto* amplius non est; quapropter nulla est ratio vitiationis. At ex constitutione *Capitis 2 h. t.*° foeminae cum Clerico delinquentes subjiciuntur jurisdictioni iudicis ecclesiastici ob sacrilegium, quod cum Clerico commiserunt; quamvis in praxi hoc non observetur, et ipsae plectantur a iudicibus saecularibus.

Communium
1.º utati ad ely. min.
8.º

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

1.º Bipartita erit pertractatio brevis istius tituli ut claritati consulamus; et loquemur primo de tonsuratis et Clericis in minoribus ordinibus constitutis, deinde vero de Clericis maioribus. Quoad tonsuratos et minoristas statuendum est, eos posse etiam licite matrimonium contrahere, nulla enim ecclesiastica lege prohibentur ex *cap. 1º et 7º h. t.*º At per matrimonium valide contractum ipsi privantur beneficiis omnibus, quae possidebant ante matrimonium, prout constat ex *cap. 1º, 3º, et 5º h. t.*º, neque eos Clericos juvat *regula de triennali possessore*, cum haec inhabilitas ad dicta beneficia retinenda superveniat ex matrimonio contracto, prout inferius patebit; quemadmodum ex hac superveniente inhabilitate pri-

vantur quibuscumque gratiis expectativis, Rescriptis sic dictis beneficialibus, pensionibus ecclesiasticis, nisi quae eis dentur ex ministerio mere temporali. Servandum tamen est, quod statuitur *cap. 3^o h. t.^o*, nempe « si Ecclesiis, quibus » intitulati fuerant, de possessionibus aut aliis » bonis suis aliqua contulisse noscuntur; cum ab » earumdem Ecclesiarum ministerio fuerint et be- » neficio sequestrati, ad ipsos recta via debent » absque contradictione redire; » cum istae donationes censeantur ex favore conditionatae, ne videantur Ecclesiae ditescere alienis bonis.

2.^o Quaestio porro est: an per matrimonium validum amittantur beneficia ecclesiastica *ipso jure*, vel per sententiam iudicis? Licet vero ex *cap. 1^o et 3^o h. t.^o* videatur posse haberi argumentum pro posteriori sententia; prima tamen praevaluit ex communi Canonistarum interpretatione fundata in auctoritate glossae in *cap. 1^o h. t.^o v. relinquenda*. Quin imo P. Thesaurus *De Poenis ecclesiasticis cap. 4^o verb. Apostasia num.^o 5* docet non solum *ipso facto* minoristam privari beneficiis et pensionibus ecclesiasticis, si matrimonium valide contraxerit, sed teneri ea dimittere ante omnem declarationem, et fructus postea perceptos restituere. Et jure quidem; cum enim status matrimonialis secundum canones *cap. 5^o h. t.^o* censeatur esse incompatibilis cum statu clericali in Ecclesia latina; hinc secundum eosdem canones Clericus minorista uxorem ducens consideratur

tacite et ipso facto renuntiasset eidem beneficio, quae renuntiatio ex ir retractabilitate casus ab Ecclesia statim acceptatur; imo juxta locutionem dictorum canonum jam acceptata est; proinde fructus postea perceptos Clericus nullo titulo possidet, et permutatio seu resignatio alteri facta post initum matrimonium non valet. Hoc verificatur quoque in casu matrimonii simpliciter rati, nam hoc quamdiu non dissolvitur, inducitur status incompatibilis cum retentione beneficii. Consulto autem diximus matrimonium contractum debere esse validum, nam per sponsalia de futuro non amittuntur ipso jure beneficia. Non desunt Doctores, ut notat Giraldi *oper. et part. cit.^a sect. 336*, asserentes hanc beneficii privationem induci ipso jure per matrimonium quoque nulliter contractum. Sed haec sententia non videtur praefenda, quia id non inductum est *in poenam*, ut habeatur ratio intentionis Clericorum, et Clerici minores licite hunc statum matrimonialem possint amplecti, sed tantummodo ex incompatibilitate status: unde *cap. 1^o h. t.^o* dicitur, ut Clerici minores, si uxores acceperint, ad relinquenda beneficia ecclesiastica, et ad retinendas uxores distractione ecclesiastica compellantur; quod non verificatur in iis, qui invalide contraxere, cum ad eas mulieres relinquendas sub poenis concubinariorum sint adigendi. Neque Episcopus valet in hac re dispensare, scilicet, aut indulgere, ut Clericus uxoratus retineat beneficia jam possessa, aut alia

deinde possideat, cum hoc lege generali sit interdictum, sed solummodo Romanus Pontifex, de cujus concessione debet intelligi *cap. 7 h. t.* Quin imo aequivalenter haec auctoritas Episcopis interdicitur in ultimo paragrapho *cap. 5ⁱ*, ubi Clericus uxoratus decernitur spoliandus beneficiis ecclesiasticis, quae ei *scienter* ab Episcopo collata fuerint.

3.° Praeterea Clericus uxoratus omnia amittit privilegia ecclesiastica, et tantum ei remanent duo privilegia canonis et fori sub conditionibus tamen assignatis in *cap. un.° h. t.° in VI* et a Concilio Tridentino *sess. 23 cap. 6° de reform.*, nempe gaudet privilegio canonis juxta *cap. unic. h. t.° in VI°* si contraxit *cum unica et virgine*, ac si *tonsuram et vestes deferat clericales*: gaudet vero privilegio fori, si praeter supradictas condiciones ex Concilio Tridentino *sess. 23 cap. 6°* inserviat alicui Ecclesiae de mandato Episcopi, id est *Ecclesiae ministrare pergat*, ut explicat Benedictus XIV *De Synod. Lib. 12 cap. 4 num.° 3.°* Praeter haec duo privilegia etiam adimplens dictas condiciones Clericus uxoratus alia non servat, ut optime exponit Fagnanus citatus a Giraldi *op. et part. cit.° sect. 342.* *Bonifacii tradidit clerico uxorata*

4.° Quae diximus valent de Clericis minoribus: quid vero dicendum de Clericis majoribus? Et quidem loquemur de matrimonio contracto vel contrahendo, sicut de Ecclesia Latina et de Graeca. Quoad matrimonium contractum dicendum est La-

tinam Ecclesiam non promovere uxoratos neque ad sacros ordines, neque ad beneficia ecclesiastica, aut ecclesiasticas administrationes, nisi forte vovent castitatem, et qui unicam et virginem habeant aut habuerint uxorem ex *cap. 2° h. t.°* Quod votum de consensu uxorum debere emitti, docebimus in expositione *Tit. XXXII hujus Libri*, sicut indicabimus condiciones, quae a canonibus requiruntur. Neque pariter eos promovet ad ordines minores et tonsuram, ut probat ejusdem Ecclesiae Latinae praxis et unanimiter docent Doctores. Quae praxis cohaerens est *dicti Cap. 2 h. t.°* dispositioni, cum ordines minores sint gradus ad majores, et omnes sint gradus quidam, quibus tenditur ad Sacerdotium, quemadmodum loquitur Concilium Tridentinum *sess. 23 can. 2°*, et prima tonsura sit dispositio ad ordines. In Ecclesia Graeca autem matrimonium contractum non obstat, quominus Clerici promoveri possint ad alios cum minoribus, tum majores ordines, possuntque uti matrimonio antea contracto etiam existentes in sacro ordine, Episcopatu excepto, ita tamen ut tempore, quo secundum vices in Ecclesiae ministerio fungi debent, ab uxoribus abstineant. Quae minus laudabilis consuetudo a celebri canone 13° Concilii Trullani numquam a S. Sede confirmato inceptam tamen toleratam confitetur Innocentius III *cap. 6° h. t.°* per verba « Nos attendentes, quod » Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam orientales in minoribus ordinibus

» contrahunt, et in superioribus utuntur matri-
 » monio jam contracto. » Quod pertinet autem ad
 matrimonium contrahendum, Ecclesia Graeca cum
 Latina concordat in canonibus Concilii Trullani,
 nempe utraque edicens Episcopis, Presbyteris,
 Diaconis et Subdiaconis non licere amplius uxore
 assumere, quod in Ecclesia Latina evidens
 est ex *cap. 1^o h. t.* aliisque textibus, pro Ecclesia
 autem Graeca patet ex *can. 6^o* Concilii Trullani.
 Et in hoc recens Ecclesia Graeca magis se re-
 prehensibilem ostendit: nam hodie magis abusiva
 consuetudo eis permittit in Subdiaconatu consti-
 tutis uxorem assumere, quod antiquitus non per-
 mittebatur ex citato canone: contra praesumentes
 id facere antiquitus plures constitutae sunt poenae.
 Concilium Toletanum VIII *can. 6^o* statuebat foe-
 minas retrudi in monasteriis usque ad exitum
 vitae, et similiter Clericos in virorum caenobiis.
 Concilium Neocaesareense *can. 1^o* statuebat Pre-
 sbyterum deponi, et inter laicos redigi ad poeni-
 tentiam. Nunc vero poenae sunt ex *cap. 1^o h. t.*
 suspensionis et excommunicationis, quibus com-
 pelluntur uxores dimittere et poenitentiam agere
 de commisso. Quae quidem poenae secundum te-
 norem *cit. 1^o cap. 1 h. t.* sunt ferendae sententiae,
 sed Clemens V excommunicationem voluit esse
 latae sententiae, extensam quoque ad Religiosos
 et Moniales post editum solemne castitatis votum,
 et ad eos, qui cum talibus scienter contraxissent,
 et quidem nemini reservatam ante denuntiationem

*Sancit. Sedis Can. c. 8. non omnes probant sed statim ad processum
 mai. orala. tollunt summa. M^o omnibus. cap. Epist.
 encl. bochni. Graeci contrahunt in memoria. et videtur legem totam
 in. in. presb. - nunquam permittitur secundum cap. ha. sum.
 iudicium. Sontio. Sontio. dicit. Sontio. et Epist. Sontio. Sontio. Sontio.
 Sontio. Sontio. Sontio. Sontio. Sontio. Sontio. Sontio. Sontio. Sontio.*

factam ab Episcopo, sed post denuntiationem ipsi
 Episcopo reservatam *Extravag. Clementin. unic.*
De consanguinitate et affinitate. Hodie autem haec
 distinctio amplius non est, cum excommunicatio
 sit semper Episcopo reservata; nam in Constitu-
 tione « *Apostolicae Sedis* » inter excommunica-
 tiones latae sententiae Episcopis seu Ordinariis
 reservatas, haec legitur *num. 1^o*: « Clericos in
 » sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales
 » post votum solemne castitatis matrimonium con-
 » trahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua
 » ex praedictis personis matrimonium contrahere
 » praesumentes. » Quae poena, ut patet, incurritur
 per simplicem actum contrahendi matrimonium,
 etiamsi non fuerit consummatum, licet ad incur-
 rendam irregularitatem ex bigamia similitudinaria
 requiratur consummatio, ut dictum est *Titulo XXI^o*
Libri I. Incurritur autem ab iis quoque, qui
 matrimonium quod *civile* vocant, contrahere prae-
 sumpserint in locis, in quibus Tridentini Concilii
 Decretum *cap. 1 de reform. matrim.* publicatum
 est, ut pariter eo loci est animadversum. Addit
 P. Thesaurus *De poenis ecclesiasticis cap. 4^o verb.*
Matrimonium num. 4^o propter Tridentini consti-
 tutionem mox citandam, eos tamquam de haeresi
 suspectos, esse Sacrae Inquisitioni denuntiandos,
 proinde non videtur, ut advertit Giraldi *op. et part.*
cit. a sect. 339, esse amplius in potestate Episcopi
 eos suo officio restituere, et ut in ipso ministrent
 dispensare post longam poenitentiam et vitam lau-

dabilem, prout indulserat Alexander III *cap. 4^o h. t.^o*, quamvis possint eos ab excommunicatione absolvere. Quod si isti contraxerint cum errore intellectus, nempe putantes id sibi licitum esse, tunc sunt haeretici, sentientes nimirum contra *canonem 9 sess. 23* Concilii Tridentini. Non tamen privantur ipso jure beneficiis, quia de hoc canones silent; qui potius de suspensione loquuntur; quamvis propter insordescentiam eis possint privari. Idem statuit de matrimoniis a Subdiacono, Diacono, vel Presbytero Italo-Graecis contractis Benedictus XIV Constitut. « *Etsi Pastoralis* » § VII *num.^o 27* edita *die 26 Maii 1742*, ibi: « Praeterea » si quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter » post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam » duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere » praesumpserit, nedum excommunicationis latae » sententiae poena, aliisque nostro, et Successorum » nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio in- » fligendis severissime punietur; verum etiam sta- » tim ab ordine erit deponendus, et ab illegitima » uxore separandus. Matrimonium enim post re- » censitos ordines contractum nullum irritumque » declaramus. » Quando vero ordo major penes Latinos inter impedimenta matrimonium dirimentia sit relatus, et an hoc vigeat etiam in Ecclesia Graeca, id videbitur *Titulo VI Libri Quarti*.

5.^o Licet vero majores Clerici matrimonium attentent, non deperdunt tamen privilegia clericalia, quin imo, dimissa uxore, ad clericatum re-

dire coguntur. Si vero a Summo Pontifice cum eis est dispensatum, ut uxores ducant (facere enim potest id Pontifex ex absoluta potestate, cum lex caelibatus non sit divini, sed ecclesiastici juris, et quando id faciat *cit.^o Tit.^o VI Lib. IV* indicabimus), tunc utique illa privilegia deperdunt, cum amplius inter Clericos non computentur.

TITULUS IV.

*De Clericis non residentibus
in Ecclesiae vel Praebenda.*

1.° Residentia secundum Doctorum communem acceptionem est « commoratio assidua in Ecclesia seu loco beneficii, causa servitii ecclesiastici » personaliter praestandi. » Quae definitio duo includit, nempe ut mansio seu commoratio sit moraliter continua seu assidua in loco, ubi est beneficium; et secundo, ut haec commoratio sit laboriosa, seu causa praestandi personaliter servitii ecclesiastici; quandoquidem si actus beneficio adnexos quis non exerceat, incassum resideret, nec censeretur residere.—Porro residentia est vel *vera*, vel *ficta*. *Vera* dicitur cum beneficiatus realiter residet; *ficta*, cum beneficiatus ex justo motivo absens, fictione tamen juris censetur residere quoad effectus.

2.° Ab omnibus autem Doctoribus primum hic quaeritur, quinam ad residentiam obligentur? Et quidem, spectato jure antiquo, omnes Clerici habentes beneficium quodcumque ad residentiam tenebantur, cum pro omnibus vigeret generalis ratio, quod beneficium daretur propter officium: quam rationem exprimit *cap. 13 de praebendis* his verbis: « cum singula officia in Ecclesiis assiduitatem » exigant personarum. » Hinc antiquitus distinctio illa non inveniebatur inter beneficia *residentialia et non-residentialia*; at hodie haec distinctio invenitur recognita a jure canonico, vetere rigore recedente, ut beneficia non-residentialia dicantur ea beneficia quae simplicia appellantur, aut nonnulli canonicatus, qui non obligant ad residentiam, prout ex sequentibus melius patebit.

3.° Si autem quaeres quo jure beneficiati ad residentiam teneantur? responsio in promptu est sequens: Episcopi et omnes habentes in titulum beneficium cum cura animarum obligantur ad residentiam praecepto divino et naturali *sive per se, sive per alios*; ecclesiastico vero praecepto obligantur *per se, non per alios*. Revera Concilium Tridentinum in *sess. 23 cap. 1° de reform.* docet pastoralibus muneribus praecepto divino mandatis ab iis non posse satisfieri, qui gregi suo non invigilant, neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt: quod tamen impleri potest sive per se sive per alios a pastoribus, et rigore loquendo *assiduam*, seu *continuum* residentiam

non postularet. Ecclesiasticum vero praeceptum de residentia personali pastorum proponitur in *cap. 2^o, 3^o, 4^o, 9^o etc. h. t.* et a Concilio Tridentino *sess. 6^a cap. 1^o*, ac *sess. 23 cap. 1^o de reform.* Canonici vero et caeteri beneficiati, quibus non est adnexa cura animarum ad residentiam tenentur jure tantum ecclesiastico ex *cap. 16^o h. t.* et ex Concilio Tridentino *sess. 24 cap. 12 de reform.*; quippe quae officia sunt ex positione Ecclesiae. Neque ex dictis inferas constitutionem Parochorum aliorumque inferiorum pastorum infra Episcopatum esse de divina positione, prout presbyterianae sectae asseclis placuit, et nonnullis jansenianismi labe plus minus infectis Theologis. Munus enim pastorale est ex divina positione, atque Episcopis sub Primatu Romani Pontificis concreditum: quod si Ecclesia deinde Episcopis in cura animarum constituit adjuutores, eos omnes in hac hypothesis praeceptum divinum percellit et respicit non minus ac Episcopos; atque hoc modo explicatur primus paragraphus *cap. 1 sess. 23 Concilii Tridentini.*

4.^o Ex iis, quae diximus, consecutaria eruuntur, nempe — (a) ne consuetudine quidem immemoriali induci posse, ut Episcopi, Parochi, aliique curam animarum habentes non resideant neque per se, neque per Vicarium idoneum; hoc enim esset contra jus divinum antea expositum, neque id alicujus venia indulgeri valeret. — (b) Similiter non posse consuetudine introduci, quod

Episcopi, Parochi, aliique curam animarum habentes deobligentur a residentia personali, quia in hoc satis institit jus ecclesiasticum, praesertim Concilium Tridentinum *sess. 6^a cap. 1^o de reform.* innovans veteres canones, et quasvis consuetudines habens potius ut corruptelas, cum illa Concilii dispositio sit de residentia personali, a qua non eximuntur, nisi interveniente legitimo impedimento, seu justis et rationabilibus causis, quas deinde assignat in *cap. 1^o sess. 23*. Hoc autem praeceptum ecclesiasticum potest cessare ex dispensatione Summi Pontificis, prout infra exponemus. Dicimus consulto *ex consuetudine* id fieri non posse; nam si justa causa sit, ut Cura exerceatur per Vicarios sive perpetuos sive temporaneos, haec utique admittitur, prout expositum est in *Titulo XXVIII Libri primi*. — (c) Item non admitti consuetudinem immemoriam quoad non-residentiam in Cathedralibus et Collegiatis insignibus quoad Dignitates et Canonicos, admitti autem posse in aliis Collegiatis non-insignibus, et etiam id praestare posse consuetudinem, quae non sit immemorialis, sed tantum communis, si redditus sint valde tenues et Canonici aliunde sustentari nequeant; prout constat ex Declaratione Pontificia data anno 1573 per organum S. Congregationis Concilii, prout legitur in *Lib. 1^o Decretor. pag. 33 a tergo* his verbis: « SS. D. Noster (Gregorius XIII), etiam ex sententia Sacrae Congregationis Concilii declaravit immemoriam

*Ut si sine curia, seu parochia a vicario
quod addit sine tenore*

» consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis cathedralibus et Collegiatis insignibus; » in Collegiatis autem non-insignibus posse excusare, dum tamen sint rurales prorsus destituta, et in quibus numquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere; aut quae adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos aliunde non habentes unde vivant alere non possint: » quae declaratio attingit statum illarum Ecclesiarum, seu universum collegium, quod non-residens declaratur, non tantum unum aut alterum ex Canonicis, de quo ultimo casu nunc non loquimur. — (d) Praeceptum demum ecclesiasticum de non-residentia non respicere beneficia simplicia, quippe quae assiduitatem non exigunt personarum ex hoc quod officii divini recitatio, quod est unicum opus, etiam non residendo in loco beneficii compleri valet.

5.° Queis in antecessum animadversis sermo nobis erit de residentia Episcoporum et Praelatorum prius, deinde de eodem Parochorum onere, et demum de Canonicis quoad eandem obligationem verba faciemus. Omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine et titulo praefecti, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligantur ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi tenentur, nec abesse possunt nisi ex causis et modis a Concilio Tridentino notatis

sess. 23 cap. 1° de reform. — Causae autem sunt quatuor, nempe *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas.* — *Christianae charitatis* nomine in casu nostro significatur gravis proximorum calamitas, cui sublevandae vel auferendae aut aliud medium non est, nisi opera ab Episcopo exhibenda, aut prae omnibus ejus labor praevidetur proficuum. — *Urgens necessitas* est ex afflictatione morbi Episcopum attingentis, qui non nisi in alia regione curari possit, vel quando infidelium persecutio contra Episcopum specialiter suscitata, aut populi furor, vel Principis insidiae praecavendae sunt, quae omnia et singula exigant temporalem ejus discessum et alia similia. — *Debita obedientia* locum habet in accessu ad Synodum provincialem, vocante Metropolitanum, vel in perfectione ad visitanda limina SS. Apostolorum Petri et Pauli, juxta ea quae dicta sunt in *Titulo XXXI Libri Primi*, aliisque mandatis suscipiendis, quae Episcopo imponere velit Romanus Pontifex, praesertim in accessu ad Synodum generalem jussu ejusdem Pontificis congregatam. — *Evidens Ecclesiae utilitas* verificatur praecipue in defensione jurium suae Ecclesiae. — *Evidens* demum *Reipublicae utilitas* verificatur praesertim in aliquo expediendo munere et Reipublicae officio Episcopatibus adjuncto, ut notat idem Concilium Tridentinum *loc. cit.* Fuse et praecise has causas exponit Reiffenstuel hic *num. 42 et seqq.*; sed

praeter causam legitimam, necessaria est approbatio Superioris. Et quidem Concilium Tridentinum *loc. cit.* statuerat « has legitimas absentiae causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo absente, a Suffraganeo Episcopo antiquiori residente.... » in scriptis esse approbandas; sed hodie post Constitutionem Urbani VIII, quae incipit « *Sancta Synodus* » diei 12 Decembris 1634, et Constitutionem Benedicti XIV, quae incipit « *Ad universae* » diei 3 Septembris 1746; quibus instituta et instaurata est Congregatio super Residentia Episcoporum, de licentiis absentiae concedendis ipsa exclusive videt, et concedit, annuente Pontefice; sicut ipsa est, quae instat pro adimplemento legis et punitione eorum, qui non resident, prout constat ex cit. Constitutione Benedicti XIV *num.* 14. Huic autem Congregationi non est petenda licentia absentiae, ut notat in cit. Constitutione Urbani VIII, in casu « personalis interessentiae in » Synodis provincialibus, vel congregationibus, » seu assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris aut » reipublicae officii Episcopatibus vel Ecclesiis » majoribus adjuncti, cujus ratione ad certum » tempus occupari solent, » quod jam adverterat Concilium Tridentinum *cit. cap.* per verba « nisi » cum absentia inciderit propter aliquod munus » et Reipublicae officium Episcopatibus adjunctum. » Hic autem casus, ut fuerat a Concilio

Tridentino et ab Urbano VIII expensus, non verificatur; analogus, vel similis potius frequenter accidit in diversis Rebuspublicis et regnis, ut Episcopi aliqui a Principe vel a populo legitime eligantur, ut sedeant vel in Aula Senatorum, vel in Camera Deputatorum, et de iis quaeritur, an indigeant Pontificia licentia, ut relicta propria Dioecesi valeant interesse istis publicis comitiis, quae absentiam a Dioecesi pro longa anni parte requirunt? Et quidem, ut advertit Lucidi *De visitatione Sacrorum liminum Part. Prim. Volum. Prim. pag.* 120, 121, inspiciendum est, an hoc jus adjunctum sit certo episcopatu, vel potius personae Episcopi: si enim primum contingit, tunc hic casus ex verbis Constitutionis Urbani VIII censetur esse praevisus, ut non indigeat Episcopus venia Pontificis, et identicus videtur cum illo a Tridentino Concilio notatus: quod si alter casus verificatur, tunc tutius est a Pontifice veniam absentiae petere, quia casus hic nondum expensus est et a canone determinatus.

6.^o Quae residentiae lex Episcopos omnes urget jam ab initio promotionis. Urbanus VIII autem Episcopis in Curia promotis, prout advertit Benedictus XIV *cit.* Constitutione, unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit a die ipsorum propositionis in consistorio computandum esse); quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent; Benedictus XIII vero facultatem dedit Cardinali in Urbe Vicario, ut

*Episcopi deputati non solum sed et personae promotionis
absentiae licentia? Nisi constitutum est per
I. ad hunc unum reclamant contra eos qui non
sunt solum esse in potestate licentiae a S. R.*

praefatum unius mensis terminum juxta casuum contingentiam et causa cognita ad alios quadraginta dies, et non ultra prorogare posset. Quae pariter lex obligat, etiamsi Episcopus habeat coadjutorem ex statuto S. Congregationis Episcoporum et Regularium in Neapolitana *diei 4 Martii 1597 et Nicoterens. diei 7 Septembris 1619*: atque etiam tempore pestis, licet possit Episcopus adire tutiorem suae Dioecesis locum ex declaratione Gregorii XIII *diei 18 Decembris 1576* relata a Fagnano in *cap. 17 h. t. num. 46 et 47*. Qui Episcopus residens in sua Dioecesi eximitur a residentia aliorum beneficiorum, si quae habet, nec aliud amittit, nisi quotidianas distributiones, et alia quibus privantur illi, qui rationabilibus de causis absunt, ut probat Ferraris *Bibliotheca Canonica v. Episcopus art. 3.º* Etsi vero Episcopus extra civitatem, ubi Cathedralis sita est, sedem suam statuatur, dummodo in aliquo suae Dioecesis oppido resideat, violatae residentiae reus habendus non est, cum Tridentinum Concilium et Pontifices loquantur de residentia Episcopi in Dioecesi, prout habetur in pluribus Decisionibus S. Congregationis Concilii, praesertim in *Civit. Castellan. et Hortan. diei 18 Junii 1624* apud Lucidi *op. et part. cit.* Additum tamen est in decisione, quod Episcopus in Cathedrali resideat temporibus a Concilio praescriptis *cap. 1º scss. 23 ver. eosdem interim admonet*. At si iis temporibus in Cathedrali non resideat, sed semper ma-

neat in sua Dioecesi, ut supra, non videtur incurrere poenas non-residentium, ut eo loci pluribus argumentis et decisionibus dictus Auctor probat. Eas autem poenas eidem Auctori non videtur posse declinare Episcopus, qui in oppido suae Dioecesi contermino moratur, quod ostendit gravibus rationibus contra opinionem Giralardi, qui in *op. cit. part. 2ª sect. 86 § Quod etiam* in appositam sententiam inclinatur ex auctoritate P. Thesauri *De Poenis cap. 1º verb. Residentia*. Quando vero Episcopus pluribus Dioecesibus conjunctis praesidet, tunc in ea residere debet, quae in Bulla provisionis sibi a Summo Pontifice praescripta est, et si nihil ibidem expressum fuerit, servari id debet, quod ex consuetudine praescripta obtinet. At si nulla sit ratio consuetudinis, curare debet Episcopus, ut ad civitatem, ubi habitualiter sedem non habet, solemnioribus diebus se conferat, prout Lucidi *loc. cit.* ostendit.

7.º Caeterum Concilium Tridentinum Episcopis quovis anno concessit, ut a sua Dioecesi abesse possent aliquo tempore, quod tamen non deberet excedere duos aut ad summum tres menses, sed absque ullo gregis detrimento, et aequa ex causa, quam pensandam reliquit abscedentium conscientiae. Hac autem super re puto allegandam esse Constitutionem Benedicti XIV jam citatam « *Ad Universae* » *num. 6º*, ibi: « Cum vero idem « *Urbanus declarasset, se per ea quae in suis prae-*

*loc. quodlibet. C.º. rationabili, etiam annu. Decanus
recreatio. Demum de Ep.º. provisione recto regimini Decani
vel per de (per quod) et per quod*

» fatis litteris constituerat, minime sublatam vo-
 » luisse dictam trium mensium licentiam a Con-
 » cilio indultam, hinc plures ortae quaestiones,
 » et varia condita sunt decreta ab eodem Urbano
 » ejusque Successoribus approbata: cujusmodi
 » sunt, non licere trimestrem absentiam praedi-
 » ctam conjungere, sive cum eo tempore, quo per-
 » mittitur Episcopis post suam promotionem in
 » Urbe commorari, sive cum eo, quod ad pera-
 » gendam sacrorum Liminum visitationem eidem
 » concessum fuit: neque fas esse absentiae tem-
 » pora ita disponere, ut tres postremi menses
 » unius anni continuentur cum tribus prioribus
 » mensibus anni subsequents. Sicut etiam vetitum
 » est praedictos menses conjungere cum eo anni
 » tempore, quo propter aeris insalubritatem ali-
 » cui Episcopo permittitur extra Dioecesim degere,
 » ne scilicet continuatis absentiae temporibus ver-
 » nos simul et aestivos menses, sive aestivos una
 » cum autumnalibus extra Dioecesim duci contin-
 » gat. Denique ne quis indulgentia sacri Concilii
 » per fraudem abuti posset, declaratum fuit, prae-
 » dictam trium mensium vacationem intra cujus-
 » que anni limites coerceri, ut qui uno anno usus
 » ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius
 » ab Ecclesia sua abesse valeat. »

8.º Haec autem residentiae obligatio sub gra-
 vissimis poenis a canonibus indicta est. Et primo
 quidem Concilium Tridentinum *sess. 23 cap. 1º*
de reform. absque legitima causa non-residentes

decrevit « praeter mortalis peccati reatum, quem
 » incurrunt, eos pro rata temporis absentiae fru-
 » ctus suos non facere, nec tuta conscientia, alia
 » etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere
 » posse, sed teneri, aut ipsis cessantibus per su-
 » periores ecclesiasticos illos fabricae Ecclesiae
 » aut pauperibus loci erogare, prohibita quacum-
 » que conventionem, vel compositionem, quae pro
 » fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam
 » praedicti fructus in totum vel pro parte eis
 » remitterentur non obstantibus quibuscumque pri-
 » vilegiis cuicumque Collegio aut fabricae conces-
 » sis. » Qua sanctione sessionis XXIII Concilium
 Tridentinum ampliavit, seu exasperavit dispositio-
 nem *cap. 1º sess. 6ª*, ut tenet Reiffenstuel hic
num. 24 et Schmalzgrueber hic *num. 35* post Les-
 sium contra Pirhing *num. 74*, Engel, aliosque. Cui
 exasperationi non defuit causa, nempe interpreta-
 tiones a mente Concilii alienae, prout edocet ipsum
 Concilium eadem *sess. 23 cap. 1º*. At advertit
 Giraldi *op. et part. cit. sect. 86 nota IV* post
 Thesaurum *De Poenis cap. 1º verb. Residentia*
 absentem Episcopum non teneri *in foro conscien-
 tiae* restituere integros fructus pro rata temporis
 absentiae nisi adigatur per poenam a superiore,
 sed posse retinere partem ob alia munera, puta
 recitationem horarum et alia, quae absens pro
 grege suo obivit — Praeter has memorat et con-
 firmat alias poenas Benedictus XIV in *cit. Con-
 sultatione « Ad universae » num. 13*; nempe

poenam a Pio IV impositam amissionis facultatum testandi et disponendi, si quae transgressoribus hujusmodi competere dignoscuntur, nec non inhabilitatis ad majores dignitates et Ecclesias obtinendas, quam Clemens VIII indixit; sicut non lucrantur emolumentum Regulae IX Cancellariae Apostolicae super provisione Beneficiorum in alternativis mensibus vacantium. His autem poenis superaddit, « ut iidem transgressores omnibus et » singulis indultis et privilegiis, quae forsitan ipsis » tamquam Pontificio solio adsistentibus concessa » fuerint, ipso facto privati esse censeantur. » Decernit deinde iisdem poenis etiam illos subiacere, qui licentiam abeundi falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint, vel eâ semel rite recteque obtentâ praescriptos in eadem limites, ac praefinitum tempus praetergressi fuerint. Concludit tandem, quod si his poenis non cesserint, habeat contra eos locum dispositio *cap. 1ⁱ sess. 6^{ae}* Concilii Tridentini, et Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae Sedis Auctoritate in eos animadvertat, atque eas Ecclesias de utiliori Pastore provideat sicut in Domino noverit salubriter expedire. Quae denuntiatio ad Romanum Pontificem a Metropolitano, si est Suffraganeus absens, a suffraganeo Episcopo antiquiore residente, si absens est Metropolitanus, fieri debet, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres

menses per litteras seu nuntium ex dispositione ejusdem *cap. 1ⁱ sess. 6^{ae}*

9.^o Lex residentiae proposita a Concilio Tridentino *sess. 6^a cap. 1^o, et sess. 23 cap. 1^o* respicit quoque Cardinales Episcopos; at de ipsis singulariter est sermo habendus, sicut de residentia aliorum Cardinalium Ordinis Presbyteralis vel Diaconalis, quos respicit dispositio *cap. 2 h. t.* Cardinales Episcopatum gerunt vel ut titulum Cardinalitiae dignitatis, vel alium sibi attributum habent. Si Episcopatum habent ut titulum Cardinalitiae dignitatis, quemadmodum sunt sex Cardinales ex ordine Episcoporum, qui regunt sex Episcopatus dictos suburbicarios, non tenentur ad residendum in istis, sed eorum residentia est Romae, ut summo Pontifici adsistant, et Apostolicae Sedis servitiis sint addicti, ut pluribus probat Benedictus XIV in *Synod. Dioec. Lib. 7^o cap. 1^o num. 7^o*. Tenentur nihilominus ad visitationem Dioecesis et Ecclesiarum, sive per se sive per idoneos viros ecclesiasticos ex § 9 Constitutionis « *Pastorale officium* » Clementis XII ac ad visitationem liminum SS. Apostolorum, et ad relationem exhibendam status suae Ecclesiae ex praedicta Constitutione. Aliquando vero intervenit, imo hodie pluries, quod Episcopi aliquarum Sedum praeter Suburbicarias creantur Cardinales, et Episcopatum retineant, et tunc tenentur ad residentiam in eorum Episcopatibus, et de istis loquitur Concilium Tridentinum jam cit.

cap. 1^o sess. 23, et Constitutio Benedicti XIV « *Ad universae* » num. 26; pro istis est eadem lex imposita de residentia ac pro reliquis Episcopis, et eadem causae absentiae, nisi quod ratione Cardinalatus debent venire ad Conclave pro electione summi Pontificis, et in eo casu ex Constitutione jam citata Urbani VIII « *Sancta Synodus* » possunt Romae manere duobus mensibus post coronationem electi Pontificis, et deinde migrare debent ad Dioecesim. Fit tandem aliquando ut Cardinales ex ordine Presbyterali habentes seu retinentes aliquam Dioecesim optent unum ex Episcopatibus suburbicariis antiquo retento Episcopatu. Et tunc, ut advertit Benedictus XIV *De Synod. Dioeces. lib. 13 cap. 8^o num. 4^o* a Congregatione particulari habita jussu Alexandri VII die 30 Junii 1666 decretum fuit « Ecclesiam Ordinis Cardinalitii habendam esse in titulum, » cum haec adhaereat essentialiter dignitati Cardinalatus, alteram vero Ecclesiam in commendam; praeterea transituros ad Episcopatum Cardinalitium absolvi potius debere a vinculo Ecclesiae, cui jam praesunt, eamque in administrationem accipere. » At quod spectat ad residentiam Urbanus VIII in Decreto diei 28 Novembr. 1633 ita censuit: « Insuper Sanctitas Sua declaravit, dubium hactenus nullo modo fuisse nec esse debere, residentiam Cardinalium Archiepiscoporum et Episcoporum extitisse et esse » apud alias Ecclesias Metropolitanas seu Cathedrales sibi commissas, non autem apud sex Ecclesias Cathedrales titulares eorundem Cardinalium, in quibus Cardinales ordine priores praeesse solent; et propterea eos, qui aliis Ecclesiis supradictis praesunt, et apud eas non resederunt, nec resident, non fecisse nec facere illarum fructus suos, etiam sub praetextu quod alicui ex dictis sex Ecclesiis praesideant, et in Urbe commorentur. » Quod a Benedicto XIV cit. Constitutione fuit confirmatum num. 7.^o His exceptis Cardinalibus, qui Episcopatum non suburbicarium retinent, de quibus nunc egimus, alii Cardinales (praecisione facta a debito obedientiae praestandae Summo Pontifici, qui eos ut Legatos a Latere alio mittat) tenentur residere Romae in suis titulis, et si absint, ac canonice moniti non redeant ac resideant, possunt etiam deponi, seu privari dignitate Cardinalitia. Celebre est exemplum Anastasii Cardinalis privati hac dignitate a Leone IV in Concilio Romano, quod decretum relatum est in cap. 2^o h. t. Quam tamen depositionem aut privationem esse praecedendam a monitione canonica, edocet ipse Leo IV in actis ejusdem Synodi; Ipse enim refert se per Apostolicas Litteras per tertiam et quartam vicem illum Cardinalem revocasse, post quae monita venit remotio, « ita ut locum restitutioni nequaquam inveniat », ut concludit praedictum decretum. Neque tamen est necessaria convocatio Synodi, ut eos removeat Pontifex, sed extra Synodum po-

In fine est. — Inq. menay

L. int. — etiam supponit bene in aliis absp.

Sanctae Synodae per totam rem in Leo. 23. sic concludit

In illa die capitula

» drales sibi commissas, non autem apud sex
» Ecclesias Cathedrales titulares eorundem Cardi-
» nalium, in quibus Cardinales ordine priores
» praeesse solent; et propterea eos, qui aliis Ec-
» clesiis supradictis praesunt, et apud eas non
» resederunt, nec resident, non fecisse nec facere
» illarum fructus suos, etiam sub praetextu quod
» alicui ex dictis sex Ecclesiis praesideant, et in
» Urbe commorentur. » Quod a Benedicto XIV
cit. Constitutione fuit confirmatum num. 7.^o His
exceptis Cardinalibus, qui Episcopatum non su-
burbicarium retinent, de quibus nunc egimus, alii
Cardinales (praecisione facta a debito obedientiae
praestandae Summo Pontifici, qui eos ut Legatos
a Latere alio mittat) tenentur residere Romae in
suis titulis, et si absint, ac canonice moniti non
redeant ac resideant, possunt etiam deponi, seu
privari dignitate Cardinalitia. Celebre est exem-
plum Anastasii Cardinalis privati hac dignitate a
Leone IV in Concilio Romano, quod decretum
relatum est in cap. 2^o h. t. Quam tamen depo-
sitionem aut privationem esse praecedendam a
monitione canonica, edocet ipse Leo IV in actis
ejusdem Synodi; Ipse enim refert se per Aposto-
licas Litteras per tertiam et quartam vicem illum
Cardinalem revocasse, post quae monita venit re-
motio, « ita ut locum restitutioni nequaquam in-
» veniat », ut concludit praedictum decretum.
Neque tamen est necessaria convocatio Synodi,
ut eos removeat Pontifex, sed extra Synodum po-

test remove, prout patet ex depositione Cardinalium Columnensium facta a Bonifacio VIII extra Synodum *ex cap. unic. de schismatic. in VI.* Quin imo nec necessarium est habere consensum aut consilium exquirere aliorum Cardinalium, prout ex expressa dictione patet Constitutionis Innocentii X mox citandae, quamvis de ordinario casu tutius sit hoc consilium saltem expetere, et consensum quoque habere in tam gravi negotio. Cardinales vero, extra casum jam contemplatum retentionis alicujus Episcopatus non suburbicarii tenentur in Romana Curia commorari, nec possunt ab ea recedere absque licentia Romani Pontificis. Diversae autem sanctiones contra alibi commorantes, aut a Romana Curia absque praedicta venia recedentes Cardinales a Summis Pontificibus latae sunt, inter quas citantur sequentes: nempe Constitutio Leonis X incipiens « *Sub poena depositionis* » edita in Concilio Lateranensi V; Decretum Consistoriale Pauli III; et Constitutio Innocentii X quae incipit « *Cum juxta* » diei 19 *Februarii* 1646. Istarum sanctionum compendium tradit Fagnanus in *cap. 2^o h. t. num. 19 et seqq. usque ad finem.* Modus autem procedendi contra ipsos contumaces Cardinales datur a supradicta Constitutione Innocentii X, ut recedentes post editam Constitutionem a Curia extra statum Ecclesiasticum privilegiis, et indultis omnibus etiam beneficia conferendi, pensiones et fructus ecclesiasticos transferendi, et facultate te-

standi priventur, et ab ingressu Ecclesiae interdican- tur ultra alias poenas arbitrio Papae infligendas: et mandatur deveniri ad sequestrum fructuum officiorum et beneficiorum omnium, nec non pensionum ac fructuum reservatorum. Alias graviores poenas incurrunt non redeuntes intra semestre, et contumaces post aliud semestre item graviores, donec absentes per quindecim menses (cum ultimi tres menses pro tribus canonicis monitionibus ac peremptoriis terminis assignentur) possint plecti aliis poenis per Papam declarandis etiam usque ad privationem dignitatis Cardinalatus inclusive.

10.^o Quae circa Episcoporum residentiam a Concilio Tridentino fuerunt statuta, ea aptantur Parochis, seu Curatis inferioribus, aliisque quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, nempe quoad culpam, amissionem fructuum et poenas *ex cit.^o cap. 1^o sess. 23 Concilii Tridentini*, ibi: « ita tamen » ut quodcumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum » cum debita mercedis assignatione relinquunt. » Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque » concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex » gravi causa, non obtineant. » Cui decreto accessit Constitutio Pii IV *De salute animarum diei 4 Septembr. 1560*, et Constit. « *In Suprema* » diei 25 *Novembr. 1564*, nec non Constit. Pii V

« *Cupientes* » *diei 11 Julii 1568*. Ex quibus sequentes eruuntur conclusiones: — (a) Si Parochus ex causa legitima a parochia discedat, tenetur alium deputare, qui suas vices obeat; ejus autem deputandi potestas Parocho competit, jus vero confirmandi seu approbandi Episcopo; haec enim traduntur in Zamorensi *diei 29 Septembr. 1691*, et fusius in Constitutione Innocentii XIII, quae incipit « *Apostolici Ministerii* » *diei 13 Maii 1723* edita super ecclesiastica disciplina in Regnis Hispaniarum, confirmata et extensa ad quoscumque locorum Ordinarios a Benedicto XIII Constitutione « *In supremo militantis* » *diei 23 Septembr. 1724*. — (b) Praeter justam causam requiritur venia Ordinarii, seu causa debet esse ab Ordinario probata. Decisio formalis S. Congregationis Concilii id edocet. Nam anno 1572 interrogata S. Congregatio, ut refert Benedictus XIV *Instit. ecclesiast. 17^a num.^o 10*: « Sunt multi Rectores in » Dioecesi, qui praetendunt juxta formam Concilii » Tridentini *sess. 23 cap. 1^o* posse per aliquod » tempus singulis annis a suis parochiis abesse » absque suorum Superiorum licentia, dummodo » legitimae absentiae causae rationem proponant, » et ita, quia quamplurimi doctores tam Theologi » quam Canonistae sentiunt, aliqui ex praedictis » Rectoribus ausi sunt absque Superiorum licentia » pro suis negotiis gerendis per aliquod tempus, » non tamen ultra duos menses suas parochias » relinquere, tradita tamen quoque prius alicui

» Sacerdoti cura animarum et administrationis Sacramentorum, quibus non obstantibus praedicti » Rectores, quoties id faciant, a Vicariis severe » puniuntur. Quapropter, ne aliqua injusta consuetudo introducatur, supplicant humiliter praefati Rectores, quatenus praedictum dubium in » S. Congr. Concil. proponere dignentur, ut quod » in praemissis tenendum sit, patefiat. S. Congregatio censuit non potuisse, nisi causa cognita » et probata ab Ordinario, et ab eodem in scriptis » obtenta licentia; » *Lib. 2^o Decretor. pag.^a 202*. — (c) Jure diximus causam absentiae debere ab Episcopo cognosci et probari; nam id constat ex responso S. Congregat. Concilii *diei 7 Octobris 1604*, in quo declaratum est « nec Parochum habentem » justam causam abeundi extra parochiam per » duos menses aut tres, satisfacere suae conscientiae, si petat licentiam, jurans gravem se habere » causam, quam non expediat manifestare, et sic » petita licentia, abesse possit, licet Episcopus non » concedat. Similiter abesse non posse in casu, » quo causam rationabiliter expressit, quam vir » probus et aequus rationabilem judicaret, licet » rigidus Praelatus minus aequam judicat, et licentiam denegat, vel quia movetur suspicione, » quod ficta sit, cum tamen sit vera, sed habere » posse recursum ad Superiorem: » Benedictus XIV *Instit. ecclesiast. 17 num.^o 11^o* Nec sufficit etiam pro absentia per hebdomadam licentia tacita, sed oportet esse expressam, ut tenuit eadem

S. Congregatio die 7^a Octobris 1604 *Lib. 10 Decretor. pag. 100*, « nisi talis necessitas repente se offerat, quae non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi; quo casu quamprimum de discessu et de necessitate Ordinarium certiolem faciendum esse, ut de causa cognoscere possit, » prout in dicta decisione cavetur. Quae facultas cognoscendi et approbandi causas absentiae competit quoque Praelatis inferioribus nullius Dioecesis proprium territorium et jurisdictionem Episcopalem habentibus ex declaratione S. Congregationis Concilii in *Nullius, diei 26 Januarii 1625*. Si autem agatur de absentia modici temporis refert Fagnanus in *Cap. Relatum h. t.º num.º 32* non semel S. Congregationem permisisse, ut in casibus repentinis pro absentia modici temporis sufficeret licentia Vicarii foranei. Exceptis tamen repentinis casibus non licere Parocho abesse absque licentia ultra biduum declaravit pro Dioecesibus Synodo Romano subjectis Benedictus XIII in Concilio Romano *Tit. 17 cap. 6*: pro aliis autem Dioecesibus esse definiendum biduum vel triduum ex peculiaribus cujuscumque Dioecesis institutis, aliquo semper in sui vicem Sacerdote deputato, definit Benedictus XIV *Instit. Ecclesiast. cit.º num.º 12*. — (d) Non licet vero Parocho moram trahere in civitate aut oppido, quamvis non longe distet a parochia extra illud sita, etiamsi alium Sacerdotem subroget, qui si forte aliquid contingeret, praesto esset ad operam suam impendendam, ut declaravit

S. Congregatio in responsis ad dubia proposita *sub die 10 Maii 1687* ab Episcopo Fulginatensi relata ab eodem Benedicto XIV *Instit. eccles. cit.º num.º 18*: in quibus dubiis etiam negative resolvitur interrogatio de Parochis, vel qui nocturno tempore solent abesse, cum diurno tempore manent in paraecia, aut qui diurno tempore absunt manentes in nocte, etsi Vicarium idoneum relinquunt. — (e) Ex aliis decisionibus S. Congregationis Concilii probatur, praesertim ex *Faventina diei 10 Februar. et 15 Martii 1618* Parochos teneri residere nedum in parochia, sed et in domo parochiali, si quam habent, sin secus in domo propinquiori intra limites parochiae. At si non habitant in domo parochiali, vel intra limites parochiae, dummodo in civitate vel loco suae paraeciae existant, non tenentur ad fructuum restitutionem, ut censuit S. Congregatio Concilii *sub die 8 Julii 1624*, licet, si Parochus ab Episcopo admonitus domum parochialem non inhabitet, possit ab eodem puniri juris remediis, atque etiam mulctari privatione fructuum, ut contendit allatis argumentis Lucidi *op. cit.º part. 1ª num.º 221*. — (f) Parochi ad nutum amovibilis eadem lege residentiae tenentur ac perpetui, ut declaravit S. Congregatio Concilii in *Elboren diei 26 Maii 1612*, et quoad coadjutores declaravit in *Brixien diei 6 Novembr. 1620* apud Giraldi *op.º cit.º part. 2ª sect. 87 § Parochi*. Sicut cogendi sunt Rectores parochiarum ad subeunda per seipsos et non per

substitutos omnia munia, ad quae Parochi tenentur, iis exceptis, quae a Tridentino per substitutos praestari posse permittitur, quae idem Giraldi *op. part. et sect. cit.*¹⁸ enumerat.

11.^o Plures afferuntur causae, propter quas Parochi alique Rectores animarum a residentia sese excusare contendunt, et de his breviter agendum est. — I^o Affertur *infirmitas*, et de hac S. Congregatio *Lib. 1^o Decretor. pag. 51* sic decidit: « Si tamen Rector infirmus esset, et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum » vel medicinarum, hinc posse ab Ordinario dari » dilationem trium vel quatuor mensium, ut in » locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis » causa, posito interea ab Ordinario in parochiali » idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ejusdem paroeciae. » — II^o Affertur *senectus* ejusque incommoda, sed de ea S. Congregatio sentiit non esse causam absentiae, hinc *die 6 Aprilis 1647* respondit: « Nec aetatem senilem, » nec malam valetudinem excusare Parochum a » personali residentia, » *Lib. 18 Decretor. pag. 329.* — III^o Affertur *aeris intemperies et coeli insalubritas*. Sed hanc generaliter loquendo non recognovit S. Congregatio ut causam absentiae sufficientem, ut patet ex duobus ejus responsis relatis a Giraldi *op. par. et sect. cit.* § *Quoad primum*, ibi: « Aeris intemperiem non excusare Parochum a » residentia, etiamsi parochia sub tanta coeli inclementia constituta sit, ut nemo nisi indigena

» ibidem absque periculo immorari possit. » Nihilominus S. Congregatio aliquando *pro gratia* id concessit, licet aliquando negaverit, ut constat ex pluribus responsis relatis a Lucidi *oper. et part. cit.*¹⁸ num.^o 330, et 331. Atque id habemus indultum esse Parochis Suburbanis Romae, suppleta absentia Parochi per Cappellanos idoneos. — IV^o Affertur pro causa absentiae *parvus numerus parochianorum*. Sed hanc non esse legitimam absentiae causam S. Congregatio pluries respondit, et Fagnanus in *cap. Extirpandae* § *Qui vero de Praebend. num. 11* refert his verbis: « S. Congregatio consulta, an Parochus teneatur residere, » etiamsi essent in illa parochia *tres* tantum, vel » *quatuor* incolae, respondit teneri. » — V^o Affertur *ingruentia pestilentiae*; sed S. Congregatio Concilii apud Fagnanum in *Cap. 17 h. t. num. 36, 38, et 40* tenuit constanter non esse rationalem absentiae causam, imo censuit obligari Parochos ad residentiam, et administrandum personaliter peste infectis, etsi Gregorius XIII *die 12 Octobris 1576* audita Congregationis sententia decreverit posse Parochos eo tempore *per alios* peste infectis ministrare ea ratione, ne sani timentes contrahere pestem, confiteri recusarent, et ut aliis etiam sui officii muneribus satisfacere possint. — VI^o Affertur *ratio inimicitiae*, atque haec causa admittitur a S. Congregatione, si inimicitiae sint capitales, ut refert Fagnanus in *Cap. 17 h. t. num. 22 et seq.*, quae consuevit in his casibus

dare litteras ad Episcopos, ut si verae sint et graves inimicitiae, et absque Parochi culpa, et antequam Ecclesiam obtinuit exortae, dilationem dare et indulgere, ut in alio tutiori ac viciniore loco manere possit, iis durantibus, ad sex menses, Vicario idoneo per Episcopum in illa Ecclesia constituto; et iis nondum cessantibus per alios sex menses sine spe ulterioris prorogationis. Progressu tamen temporis hic rigor temperatus est, et ex *Tiburtina Indulti diei 7 Septembris 1757* S. Congregatio absentiae indultum ad annum concessum, Parocho prorogatum pluries fuisse constat; prout aliud exemplum prostat ex decisione S. Congregat. Episcoporum et Regularium in *Masens. diei 4 Aprilis 1851.* — VII^o Olim erat pro Parochis causa absentiae *ratio studiorum* ad septennium *ex cap. 35 de election. in VI^o*: sed hodie haec causa allegari nequit ex *Rescripto S. Congregationis diei 1 Decembris 1594*, in quo dicitur: « S. Congregatio censuit nec etiam causarum studio- » rum licere post Concilium Parochis abesse ab » eorum curis, et quoad hoc revocata esse omnia » privilegia tum a jure, tum etiam specialiter » concessa, ideo Episcopum posse contra absentes » procedere juxta formam traditam » *Conc. Trid. sess. 23 cap. 1^o*.

12.^o Eadem quoad culpam, amissionem fructuum et poenas de Curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, Synodus

si sine culpa Parochi inimicitiae exortae sunt.

Tridentina decernit; ita tamen, ut quoad privationem possit duplici modo procedi. Primus modus est *ex cap. XI h. t.^o*, nempe: si Parochus non residens dignoscitur ubi habitat, tunc personaliter citandus est, ut infra competentem terminum ad suam Ecclesiam redeat; quo elapso, adhuc per sex menses expectandus est, et his elapsis parochiali Ecclesia privandus est. At si ignoratur quo loco maneat Parochus non residens, tunc per tria edicta publica citandus est, deinde ab ultimo edicto expectandus est per sex menses, quibus transactis ad privationem procedendum est. Hac forma posse uti Episcopos etiam post Concilium Tridentinum patet ex duabus decisionibus S. Congregationis Concilii editis, prima *sub die 26 Aprilis 1621*, altera *sub die 8 Junii 1624* relatis a Giraldi *op. cit.^o part. 2^a sect. 88 § Et quod.* Ratio propter quam si scitur locus, ubi moretur Parochus residentiam non servans, debeat dari citatio una personalis, è contra quando ignoratur, ubi sit, necessaria sint tria edicta citationum, datur ab Auctoribus apud Lucidi *oper. et part. cit.^o num.^o 235*, quia absens potest habere justam excusationis causam; ille vero ad quem citatio pervenit, si non accurrit ad residendum, suae contumaciae excusationem non habet. Concilium vero Tridentinum *cit.^o cap. 1^o sess. 23* alium modum procedendi contra Parochos absentes invexit his verbis expressum: « Quod si per edictum citati, etiam non » personaliter, contumaces fuerint, liberum esse

pro hoc. Concilium Tridentinum sess. 23 cap. 1^o et 2^o.
et Concilium unum disposuit.

» vult Ordinariis per censuras ecclesiasticas, et
 » sequestrationem, et subtractionem fructuum,
 » aliaque juris remedia, etiam usque ad priva-
 » tionem compellere. » Et quoad hanc dispositio-
 nem Concilii sequentia sunt advertenda: — (a) Ante
 omnia praemittendam esse citationem saltem per
 edictum etiam non personaliter, secus nequit fieri
 sequestratio vel subtractio fructuum, et si fiat
 nulla est, prout declaravit S. Congregatio in *Sa-*
binensi diei 2 Septembris 1581: « S. Congregatio
 » censuit sequestrationem ac subtractionem fru-
 » ctuum ex Concilio non potuisse fieri, Rectore
 » non citato ad residendum, ideo fructus esse re-
 » laxandos et restituendos. » — (b) Praemissa
 autem hac citatione, quatenus regula in dicta sub-
 tractione servanda sit ab Episcopo, palam facit
 sequens ejusdem Congregationis decretum *sub die*
9 Augusti 1602: « S. Congregatio censuit, Epi-
 » scopum, quoties in poenam omissae residentiae
 » vult Parochis subtrahere partes, quas residendo
 » suas fecerunt, debere servare quoad intervalla
 » et quoad quotas praescriptum Concilii *sess. 6^a*
 » *cap. 1.^o* In executione autem facienda super illis
 » fructibus, quos quidem Parochi pro rata tem-
 » poris absentiae suos non fecerunt, nec tuta con-
 » scientia retinere possent, ex Decreto *cap. 1 sess.*
 » 23 § *Si quis autem Episcopum non debere sequi*
 » intervalla, de quibus in *cap. 1^o sess. 6.^{ae}* » Qui
 fructus subtracti debent applicari fabricae Eccle-
 siae, aut pauperibus loci non in alios usus pios,

Et sic abrogavit fregit Concilium ab Eccl. 1. y

ut eadem S. Congregatio censuit *sub die 8 Junii*
 1624 relata a Giraldi *loc. cit. cit. cit.* — (c) Post cen-
 suras vero ecclesiasticas, sequestrationem et sub-
 tractionem fructuum aliis juris remediis uti potest
 Ordinarius contra contumaces etiam usque ad pri-
 vationem inclusive, dummodo ab ultimo edicto
 Parochi absentes adhuc per sex menses expecten-
 tur juxta declarationem S. Congregationis, de qua
 testatur Rota *Decis. 131 in fin., Decis. 163 in*
princ. part. 4^a tom. 2 Recent. Notat autem Lucidi
loc. cit. num. 237 cum Doctoribus ex Tridentino
 unum edictum sufficere; quia si ultra edictum ad-
 jiciantur censurae ecclesiasticae cum sequestratione
 et subtractione fructuum, hae sunt loco trium
 edictorum, quae de jure necessariae sunt, ut Pa-
 rochi absentes parochiis priventur. — (d) Haec
 vero, quae spectant ad solemnitates juris circa
 privationem adimplendas, respiciunt eos qui pa-
 rochiale beneficium in titulum habent, aut Vica-
 riam perpetuam obtinent, qui in hac re aequipa-
 rantur Parochis titularibus, non autem referuntur
 ad Vicarios temporaneos, quorum absentia ipsa
 ex non legitima causa potest esse ratio dimis-
 sionis, ut colligitur ex iis, quae dicta sunt *Titulo*
XXVIII Libri Primi.

13.^o De Canonicorum muneribus et praeci-
 pue de residentia ipsorum loquitur Concilium
 Tridentinum *sess. 24 cap. 12 de reform.* in eo
 veterum canonum doctrinam confirmans, atque
 poenas contra non-residentes constituens, et mo-

dum determinans, quo eae debeant applicari; quae omnia debent per partes explicari. Canones et praecipue Concilium Tridentinum exigunt a Canonicis non modo ut resideant in loco beneficii, sed etiam ut obligationi adsistentiae chori statis horis et functionibus satisfaciant voce et cantu psallentes, quod importat residentiam debere esse non modo *materialem*, sed et *formalem*, quamvis ad diversitatem residentiae Parochorum, haec possit esse *discontinua*, nempe pro diebus et horis servitii choralis. Quae nisi praestetur, praeter fructuum amissionem, de qua inferius sermo erit, Canonicus si notabiliter deficiat, non excusatur a peccato mortali, cum contraveniat gravissimo Concilii praecepto, nec satisfaciat suae obligationi, prout clare proposuit S. Congregatio Concilii in Lucens. *Capellaniae diei 1 Februarii 1766*, proinde talis residentia est *praecisa*, non *causativa*, ut optime explicat Lucidi *op. cit.*^o *part. prim. vol. 1 pag. 247*. Revera, quod formalis sit haec residentia, id importat, nempe Canonicum debere interesse choro assignatis diebus et horis, ibique debere voce et cantu psallere. — Tum enim a tempore Benedicti XIV in *Institut. ecclesiast. 107 num. 17* fuerunt nonnulli Doctores, qui retinebant Canonicos, et alios choro addictos suo muneri satisfacere, si praesentes choro se sisterent, quin voce et cantu alios subsequerentur; sed ab ipso plures decisiones S. Congregationis conge-stae sunt, quibus haec sententia fuit rejecta; et in

Constitut. « *Cum semper oblatas* » diei 19 Augusti 1744 § 24 idem Pontifex declaravit, et hanc doctrinam uti falsam esse rejiciendam, et ad eam sustinendam neque inveteratam consuetudinem, neque statuta peculiariora, neque etiam praetensa Ecclesiarum privilegia ullam habere vim, sed tantum suffragari « *Apostolicum, non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive Indultum, quod nisi praesto sit, jure ac merito verendum esse, ne isti, qui ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter, ne ad istorum restitutionem teneantur* » Quod iterum ab eodem Pontifice inculcatur in Constitut. « *Praeclara decora* » diei 19 Ianuar. 1748 § 6.^o—Quod demum *discontinua* residentia sufficiat, id habetur in decisione S. Congregationis diei 4 Februarii 1843 § *Quoad tertiam partem*, ubi dicitur a canonicis *Beneficiatum obligari ad residentiam certis diebus et horis*, proinde, si choro adesse non cogitur, potest et alibi manere, et alia munera perferre, et etiam alia beneficia possidere, ut decisum fuit in *Tolentina Servit. Chori diei 26 Maii 1739 ad dub. 12*, « dummodo satisfaciat servitio choralis, et oneribus canonicatus. »

14.^o Concilium autem Tridentinum in *citato* *cap. 12 sess. 24* loquitur de tempore residentiae a Canonicis exhibendo, et de servitio ab iis personaliter praestando, de quo nunc est agendum. Equidem Concilium Tridentinum loquens de tem-

invicem substituendi (sed per extraneos), dummodo in hac mutua substitutione nonnullae leges observentur. Rem fuse pertractat Benedictus XIV in *Institutione ecclesiast.* 107 § 3.^o In ea laudatus Pontifex refert primo decisionem S. Congregationis diei 15 Octobris 1605: « Sacra Congregatio » saepius declaravit decreto *cap. XII sess. 24 » Conc. Trid.* non esse sublatam facultatem sese » invicem substituendi, dummodo eodem tempore » substituens et substitutus eidem servitio ad » stricti non sint. » Refert deinde alias decisiones S. Congregationis, quae istae substitutiones diriguntur, et cavetur — I^o ne, ut dictum est, substitutus ipse ad chorum venire debeat illis diebus quibus in locum alterius sufficitur: — II^o ne id frequenter contingat, quod Episcopi arbitrio relinquatur ordinandum: — III^o ut subrogentur Canonici solum et Mansionarii praesentes in civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia aut territorium versantur: — IV^o ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant, nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum Coadjutores, qui nec re ipsa Canonici, nec Mansionarii nuncupari possunt. Addendum deinde est ex aliis responsis S. Congregationis relatis a Lucidi *l. cit. pagg. 256, 257* Canonicos coadjutores citra indultum non posse nec substitui, nec substituere: Canonicos autem honorarios non posse substitui praebendatis, bene vero Canonicos jubilatos. = 50 anni dispensantur a Choro

16.^o Qui choro intersunt Canonici stasis ho-

*Concordia si fuerit data, nimirum a S. P. concedi potest
Sapientia hereditaria dicitur*

ris, ut habet Concilium Tridentinum, distributiones recipient, reliqui, quavis collusionione aut remissione exclusa, his carebunt juxta decretum Bonifacii VIII, quod incipit *Consuetudinem*, quod S. Synodus in usum revocavit. Porro ad istius conciliaris constitutionis sensum recte percipiendum, advertendum est: — (a) hanc esse primam velut poenam eorum, qui ex non-legitima causa absunt a choro. Equidem sunt et plures, qui a choro absentes ex legitima quoque causa non lucrantur distributiones, sed id certum est atque per canones decisum, neminem ex non-justa causa a choro absentem eas lucrari. — (b) Porro distributiones communiter definiuntur « portiones ecclesiasticorum reddituum quotidie distribui solitae iis Clericis, qui statutis horis intersunt divinis officiis, discretas a praebendarum fructibus. » Quae institutae ab Ivone Episcopo Carnotensi, ut notat Benedictus XIV *Instit. Ecclesiast.* 107 § 8^o, fuerunt in Ecclesia universa receptae a Jure Pontificio *cap. Licet de praebend; cap. Olim de verbor. significat. et cap. unic. de Cleric. non resident.* in VI^o: confirmatae a Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 3^o*, et *sess. 22 cap. 3^o*. Quae distributiones, si tertia parte fructuum totius beneficii uberiores sunt, relinquuntur tales nec minuuntur: separandae autem, vel augendae sunt ab Episcopis etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis, si nullae, vel ita tenues existant, ut verosimiliter negligantur. Quin imo si ita ube-

*Ab illis qui sunt et dantur quia beneficiarii et redduntur in choro = distributiones & poena eorum reddi
Conc. autem promittit ut magis reddi in Decretis dicitur*

res sunt distributiones, ut nulla, vel fere nulla praebenda existat, ita ut non residentes, seu non servientes nihil, vel minus tertia parte percipiant, eae consuetudines Ecclesiarum servandae sunt, prout constituitur in Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 3^o de reform.* — (c) At tunc distinguendum est, an quis a choro absit statis horis ex legitima causa, vel potius absque ratione a canonibus recognita. Si enim cum legitima causa absit, tunc locum habet dispositio S. Congregationis Concilii in *Valvens. Servit. Chori diei 24 Novembris 1838, ad dubium primum*, nempe faciendum esse cumulum inter fructus minimae praebendae et uberum distributionum, et duas partes ex tribus ab iis lucrari, qui fructus praebendae faciunt suos, amissis distributionibus; integre vero recipi ab iis, qui ex juris fictione habentur ut praesentes ad lucrandas quoque distributiones. Hinc est, quod in indultis absentiae, quae a S. Congregatione Concilii conceduntur cum clausula « *amissis distributionibus*, » semper praevidetur casus, quo si omnes fructus vel major pars in distributionibus consistat, omnium fructuum fiat cumulus, et duae partes computentur pro praebenda, tertia pars pro distributionibus relinquatur ab absentibus non lucranda. Si vero quis absque legitima causa absit, tunc talis computatio non fit, et distributiones relinquuntur sicut sunt, omnes amittendae ab absente, etsi vel fere omnes, vel quoque omnes constituent fructus beneficii. Et quod ita sit in

Quod si quis a choro absit, tunc fructus praebendae et distributionum cumulantur, et ab eo percipiuntur.

hoc ultimo casu, id ex communi calculo Doctorum eruitur, quos recenset Fagnanus, atque ex responsis S. Congregationis probat in *cap. 32 de praebendis num. 126*, ibi: « Propterea S. Congregatio postea semper dixit, in illis Ecclesiis, ubi » redditus omnes distributionibus constant, tertiam partem retinere naturam distributionum, » ita ut non interessentes, illam non percipiant: » reliquas duas partes succedere in locum praebendae, et deberi absentibus ex legitima causa. » Ergo pro istis tantum haec S. Congregationis interpretatio facta est. Quam doctrinam tenet *folium Secretarii in causa Castrimaris Priv. Canon. diei 14 Januarii 1741*: ubi refertur Rescriptum S. Congregationis datum Archiepiscopo Tarentino sic conceptum: « Quod etiamsi omnes » redditus in quotidianis distributionibus consistant, pro primo et secundo anno privatio indici » non debet, quia cum sint quotidianae, et non » percipiat Canonicus non residendo, satis est » privatus pro primo et pro secundo. » Quae in eodem folio plura hac de re adduntur, referuntur a Lucidi *part. cit. pag. 296*. Atque id congruit cum doctrina Concilii Tridentini *sess. 21 cap. 3^o* — (d) In hac re Concilium Tridentinum quamvis *collusionem*, vel *remissionem* interdicat. Collusio autem evenit, prout dicit Benedictus XIV *cit. Instit. eccles. 107 num. 42*, quando choro « addicti invicem conveniunt de non notandis » absentibus, quamvis absentes revera fuerint. Re-

Coll. e. 9. — 21: 22: in alibi faborem ostendit contrarium. Sed non videtur. e. 21, e. 22, e. 23, e. 24, e. 25, e. 26, e. 27, e. 28, e. 29, e. 30, e. 31, e. 32, e. 33, e. 34, e. 35, e. 36, e. 37, e. 38, e. 39, e. 40, e. 41, e. 42, e. 43, e. 44, e. 45, e. 46, e. 47, e. 48, e. 49, e. 50, e. 51, e. 52, e. 53, e. 54, e. 55, e. 56, e. 57, e. 58, e. 59, e. 60, e. 61, e. 62, e. 63, e. 64, e. 65, e. 66, e. 67, e. 68, e. 69, e. 70, e. 71, e. 72, e. 73, e. 74, e. 75, e. 76, e. 77, e. 78, e. 79, e. 80, e. 81, e. 82, e. 83, e. 84, e. 85, e. 86, e. 87, e. 88, e. 89, e. 90, e. 91, e. 92, e. 93, e. 94, e. 95, e. 96, e. 97, e. 98, e. 99, e. 100.

» missio tunc habetur, cum pars una sponte, ac
 » sine ulla conventionem distributiones quotidianas
 » alteri parti remittit, et relinquit. Utrumque
 » S. Concilium gravissime improbat, atque inter-
 » dicit.» — (e) De his autem distributionibus ab ab-
 sentibus deperditis duae sunt dispositiones Con-
 cilio Tridentini, quae oppositae esse videntur;
 dum enim in *cap. 3^o sess. 21* dicitur, quod in-
 tegrae inter praesentes Dignitates ac ceteros
 divinis interessentes proportionaliter dividendae
 sint, è contra in *cap. 3^o sess. 22* asseritur eas
 fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri
 pio loco arbitrio Ordinarii applicari. Verum, ut
 advertit Benedictus XIV *Instit. eccles. cit. 107*
num. 41, « omnis repugnantiae species tollitur,
 » si discrimen statuatur inter Dignitates, quae
 » proventus suos ex mensa Capitulari percipiant,
 » et inter Dignitates, quae secretos ab eadem
 » mensa proventus obtinent. Itaque juxta Conci-
 » lium distributiones primarum Dignitatum inter
 » praesentes dividendae sunt, distributiones au-
 » tem aliarum Dignitatum, fabricae Ecclesiae, seu
 » alteri loco pio conferendae. » Hoc est quod
 communi verbo asseritur *participare de fallentiis*,
 quae scilicet inter praesentes dividuntur secun-
 dum eorundem ordinem, si de massa omnibus
 communi distributiones sunt receptae, cum nulla
 videatur esse difficultas in repartitione earum, si
 diversorum ordinum diversae sint massae com-
 munes. — (f) Aliquando distributionum loco insti-

tuuntur *punctaturae* in illis praesertim Capitulis,
 penes quae praebendae canonicales non in com-
 muni, sed separatim administrantur, et tunc
 nomine *punctaturae* venit pecunia mulctatitia ab
 absentibus persolvenda, quae correspondet distri-
 butionibus ab iisdem absentibus amittendis. Et
 ipsae eadem leges, quae vigere dictae sunt de
 distributionibus, censentur vigere quoad puncta-
 turas, ut S. Congregatio pluries declaravit, praeser-
 tim in *Farfensi Distribut. diei 20 Decembr. 1738*,
 et in *Eugubina Punctaturarum diei 5 Aprilis 1783*.
 — Et hic est modus practicus diebus nostris pro
 executione constitutionis Concilii Tridentini quoad
 distributiones determinandas praesertim in illis
 regionibus, in quibus Canonici habent redditus
 sibi a Gubernio assignatos. Etenim ex una parte
 Concilium Tridentinum vult saltem tertiam par-
 tem reddituum Canonicatum deputari in distri-
 butiones seu victualia, quae ab interessentibus
 singulis horis acquirantur, et quibus absentes
 careant; cumque ex altera parte Canonici non
 habeant massam communem, sed unusquisque
 suam symbolam a Gubernio recipiat; hinc nullus
 alius modus aptior videtur, quam ut constituan-
 tur *punctaturae* ex cujusque Canonici praebenda
 seu assignatione detrahendae, quas lucrentur prae-
 sentes, et amittant absentes. — Duae difficultates
 a nonnullis proponebantur, quibus in aliquibus
 locis diceretur hanc distributionum proponenda-
 rum legem non urgere. Prima erat, quia stipen-

dium datum a Gubernio efficeret quod illi Canonicatus non possent inter beneficia computari. Sed haec difficultas hodie non potest afferri post Rescriptum S. Poenitentiariae diei 19 Januarii 1819 relative ad Belgium; proinde ea stipendia habere veram rationem praebendae. — Altera difficultas erat in hoc, quod consuetudo esset in iis locis ut non habeatur pars praebendae in distributiones impensa. Sed hanc non esse attendendam consuetudinem et Episcopos teneri statuere has distributiones ostendit S. Congregatio Concilii in *Tergestina diei 23 Novembris 1850*. Ratio autem quod non sit attendenda haec consuetudo, non est quod contra Tridentinum consuetudines nequeant inolescere, ut Auctores nonnulli putant, sed ex eo quia ista consuetudo esset irrationalis, seu dans occasionem negligendi servitium chori, propter quem finem fuit inculcata a Concilio Tridentino distributionum lex.

17.º Qui ex legitima causa absunt a choro statis horis, nihilominus aliquando et distributiones lucrantur, vel punctaturas. Celebris est in hac re dispositio Bonifacii VIII a Concilio Tridentino innovata; in ea enim (et est *Caput unicum h. t. in VIº*) asseritur absentes a choro carere distributionibus, « exceptis illis, quos infirmitas, » seu justa et rationalis et corporalis necessitas, » aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret. » Doctores exemplificant omnes casus comprehensos in hac generali expressione Bonifacii VIII, prae-

sertim Giraldi *op. cit. part. 1ª sect. 358, 359*, Benedictus XIV *Instit. eccles. 107*, et Lucidi *op. cit. part. prima pagg. 373 et seqq.*; sicut distinguunt distributiones ordinarias, et extraordinarias, aut inter praesentes. Reliqui indultarii in genere non faciunt suas distributiones, ut notatur ab iisdem Auctoribus; sed aliquando accidit contrarium, ex rescribentis Pontificis intentione, praesertim in indulto *jubilationis*, de quo fuse agit Secretarius in *Lucana exempl. et emolum. diei 30 Jan. 1858* relata a Lucidi *op. cit. part. 2ª pagg. 162 et seqq.*, et Giraldi *op. cit. part. 2ª sect. 437*. Et quandoquidem de hoc indulto verba fecimus, juverit paulisper in eo exponendo immorari. — Nulum habemus textum juris canonici loquentem de hoc indulto, sed, ut advertitur in Folio Causae S. Congregationis Concilii « *Dubia Jubilationum* » diei 24 Septembr. et 17 Decembr. 1718, Gregorius XIII probavit resolutionem S. Congregationis, in qua fuerunt tolerata statuta Ecclesiarum collegiatarum et cathedralium, quae Canonicis et Beneficiatis post servitium quadraginta annorum *jubilationem* concedebant cum participatione fructuum et distributionum. Imo, ut refert idem Secretarius, praxis inolevit ut ab eadem S. Congregatione concederentur indulta jubilationis Canonicis et Beneficiatis post servitium quadraginta annorum ad lucrandas praebendas et distributiones, ne coelestis militiae sectatores deterioris essent conditionis ac veterani in militia saeculari; dum-

modo demonstraretur hoc servitium quadraginta annorum fuisse *continuum et laudabile*. Tunc in ea causa proposita fuerunt sequentia dubia: —

I. « An indulgenda sit iubilatio Canonicis et » Beneficiatis, qui spatio annorum XL Ecclesiae » inservierunt, licet dicto tempore et spatio cum » debitis licentiis et indultis ab Eccle- » siis vel ex causa infirmitatis, vel ex causa stu- » diorum, vel pro suae Ecclesiae servitio, vel ra- » tione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta » abessendi pro diebus et horis, vel indulta sim- » pliciter et absolute abessendi ab Ecclesia durante » officio ipsis commisso? »

II. « An indulgenda sit iubilatio illis, qui in- » servierunt spatio annorum XL, sed partim in » una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Ca- » nonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in » una et Canonici in alia, nec non illis, qui in » una et eadem Ecclesia per totum tempus inser- » vierunt, sed partim tamquam Clerici Beneficiati, » partim tamquam Beneficiati, et aliquando par- » tim tamquam Beneficiati, partim tamquam Ca- » nonici, vel partim tamquam coadiutores, et par- » tim tamquam principales et titulares? »

III. « An indulgenda sit iubilatio illis, qui in- » servierunt spatio annorum XL, non obstante » parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ec- » clesiae servitio, et quis sit parvus numerus inser- » vientium in casu et ad effectum, de quo agitur? »

IV. « An, non obstante iubilationis indulto, iu-

» bilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus » cultus detrimentum patiat? »

V. « An, non obstante iubilationis indulto, iubi- » latus teneatur ad residendum, licet non teneatur » ad interessendum? »

Ad quae S. Congregatio respondit:— « Ad I *af-* » *firmative* quoad absentes ex causa infirmitatis » cum debitis licentiis et indultis, ubi pro suae » Ecclesiae servitio vel cum indultis abessendi pro » diebus et horis; *negative* autem quoad absentes » ex causa studiorum et quoad habentes indulta » abessendi absolute, durante officio. — Ad II *nega-* » *tive* ad primam partem, *affirmative* ad secun- » dam. — Ad III dabitur resolutio in casibus parti- » cularibus. — Ad IV *affirmative*. — Ad V *negative* » iuxta decreta. » Et decreta sunt in *Causa S. An-* » *geli in Vado 15 Aprilis 1690 lib. 4 Decretor.* » *pag. 256*, et in *Patavin. jubilat. diei 9 Jun. 1714* » *lib. 64 Decretor. pag. 217*. — Hodie consuevit » S. Congregatio concedere indultum iubilationis » etsi quis servitium in diversis Ecclesiis praestite- » rit, dummodo sit quadraginta annorum et lauda- » bile. — Canonico autem ad iubilationem obtinendam » obstare, quod jam habeat coadjutorem cum futura » successione responsum est a S. Congregatione in » *Calaguritana diei 2 Maii 1733*. — Quod pertinet » ad distributiones praeter lucrum distributionum » ordinarium, respiciendae sunt resolutiones trium » dubiorum in causa *Lunen. Sarzanen. diei 30 Se-* » *ptembr. 1684*. — I. « An Capitularibus iubilatis,

» quamvis non intersint, vigore indulti emolumenta
 » anniversiarorum debeantur? Et quatenus nega-
 » tive: — II. An indultum praedictum veniat am-
 » pliandum etiam ad emolumenta anniversario-
 » rum? Responsum fuit *negative* ad utrumque, ut
 » in *lib. XXX Decret. pag. 359 in Lunen. Sarzanen.*
 » *iubilat.* — Discussa fuerunt *die 30 Sept. 1684*
 » haec dubia: — I An vigore indulti iubilationis de-
 » beatur Canonico, licet non inservienti, portio
 » emolumentorum provenientium ex anniversariis
 » fixis? — II An debeatur portio emolumentorum
 » provenientium ex funeralibus et anniversariis
 » incertis et extraordinariis? — III An etiam in ca-
 » su, quo a testatore dispositum reperiatur, nihil
 » lucrari debere eos, qui non sint praesentes? Et
 » rescriptum fuit: — ad I. *affirmative*: — ad II, et III
 » *negative*, ut in *lib. XXXIV Decret. pag. 346.* »
 Demum in *Causa Aquipendien. 1 April. 1719* re-
 sponsum fuit « Canonicum jubilatum vigore indulti,
 » si choro non intersit, participare debere de pun-
 » ctaturis seu fallentiis, dummodo non obstant con-
 » stitutiones particulares et consuetudo Ecclesiae. »
 De indulto ratione studiorum aliisque loquemur
Lib. V Tit. De Magistris.

18.º Praeter peccatum mortale quod Canonici
 ex longa irrationabili absentia incurrunt, et poe-
 nam amissionis distributionum, ut dictum est,
 constans Ecclesiae fuit vigilantia in eorundem
 longiore punienda absentia cum privatione bene-
 ficii. Sed non idem ordo semper servatus est in

ea privatione executioni demandanda. Alexan-
 der III enim *cap. 3, 4, et 6 h. t.* eos recta via
 esse beneficio privandos rescripserat: Coelesti-
 nus III in *cap. 8 h. t.* statuerat ad privationem
 esse procedendum postquam in non-residendo fuis-
 sent contumaces *facta monitione*: Innocentius III
cap. 11 h. t. privandos esse edixerat Canonicos
 beneficio, prout exposuimus pro Parochis *num. 12*,
 nihil inter eos aliosque beneficiatos discriminans:
 Gregorius IX pariter in *cap. 17 h. t.* Clericos
 contumaciter non residentes post monitionem non
 obsequentes, beneficiis privandos esse jubet. Exce-
 ptio datur in *cap. 16 h. t.* de Canonicis et as-
 sisiis, qui ex indulto apostolico vel episcopali
 non residebant, revocati quippe ad residendum
 propter diminutionem cultus divini, si non venis-
 sent, erant omnino privandi fructibus beneficio-
 rum, et ipsi fructus ita applicandi erant, ut pars
 deputaretur pro substitutis in servitio Ecclesiae,
 altera pars, quae superfuisset, in utilitatem ejus-
 dem Ecclesiae esset impendenda. — Hodie vero in
 privatione beneficii quoad obtinentes Dignitates,
 Canonicatus, vel portiones in Cathedralibus vel
 Collegiatis servandus est ordo in Concilio Triden-
 tino statutus *sess. 24 cap. 12*, ut ultra tres men-
 ses absens « primo anno privetur unusquisque
 » dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prae-
 » bendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum
 » eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus
 » fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit.

» Crescente vero contumacia, contra eos juxta sa-
 » crorum canonum constitutiones procedatur. »
 Modus autem procedendi hic est: — 1° Si qui ultra
 tres menses primo anno contumaciter abest, cita-
 tur ad dicendam causam cur propter absentiam
 puniendus non sit. Aliquando potest praetermitti
 haec citatio, si ejus loco intimetur Canonicus pro
 sequestratione fructuum, seu subtractione; quia, ut
 advertit S. Congregatio in *Verulana Residentiae
 et Privat. fruct. diei 6 Junii 1863*, ipsa citatio
 ad amittendam medietatem fructuum est interpel-
 latio ad dicendam causam, propter quam non de-
 beat his privari, apud Lucidi *op. et part. cit.
 pag. 295*; et sic prima fructuum subtractio lo-
 cum habet. — 2° Secundo anno privatur non-resi-
 dens omnibus fructibus illius anni. Atque hae
 duae poenae praemittendae sunt privationi, quae
 nisi antecedenter locum habeant, non potest de-
 veniri ad privationem, etiamsi Canonicus per tres,
 imo per plures etiam annos residentiam neglexe-
 rit, ut tradit Fagnanus in *cap. Licet h. t. num. 25
 et 26*, et S. Congregatio in *Lancianen Resid.
 diei 13 Januar. 1703*, aliisque. Unus est casus
 jam in superioribus notatus, in quo non est ne-
 cesse praemittere has subtractiones fructuum,
 nempe quando omnes fructus consistunt in distri-
 butionibus quotidianis, ut in memorata causa *Ca-
 strimaris Privat. Canonic. diei 14 Januar. 1741*;
 et ratio est, quia istae subtractiones fructuum
 sunt impossibiles, cum omnes fructus in distri-

butionibus quotidianis consistant. — 3.° Sed ad hoc
 ut deveniri valeat ad privationem, necessaria est
 absentia tertii anni, ut admonet *Folium cit. cau-
 sae Castrimaris*: indicatur enim rescriptum fuisse
 a Tribunali Rotae in causa simili *Cathacens. ad
 dubium 3^m « in casu proposito posse omitti seque-
 strationes fructuum, non autem dilationes tempo-
 rum. »* Quin imo, ut advertit Benedictus XIV
Instit. eccles. 107 num. 37, post absentiam
 trium annorum ter Canonicus monendus est, et
 per alios sex menses expectandus; deinde ad pri-
 vationem, licet ipse non compareat, devenitur.

19.° Notandum ultimo est quod refert Be-
 nedictus XIV *cit. Instit. eccles. num. 38*: « insu-
 » per Episcopus aliam quoque viam inire potest
 » ad comprimendos ejusmodi contumaces. Quippe
 » S. Concilium nequaquam abrogavit ea, quae
 » sancita sunt in *cap. Ex tuae de Cleric. non re-
 » sid.* Quapropter illo triennali spatio permittitur
 » Episcopo eosdem pervicaces a divinis suspendere,
 » quamvis viam insistere coeperit, quam Triden-
 » tina Synodus indicavit. Attamen, si id faciat, ad
 » privationis sententiam ferendam devenire nequit.
 » Celeberrimum est decretum die 18 Novembris
 » editum anno 1673 in causa Parentina. *Ut con-
 » sulatur Ecclesiis, quarum servitium detrimentum
 » patitur propter absentiam Canonicorum, et Be-
 » neficiatorum, qui propter reddituum tenuitatem
 » residentiae leges contemnunt, quaeritur: — 1° an
 » durante triennio praescripto a S. Concilio cap. 12*

4° et 5° Ex citatis capitibus Actuum Apostolorum liquet, ut concludit Charolus Sebastianus Berardi in *Commentariis ad jus ecclesiasticum universum Dissertatione Prima De Beneficiorum origine, natura et qualitatibus cap. 1°*, primos Christianos praedia vendidisse ac venditorum pretia coram Apostolis attulisse in pios usus eroganda: non esse tamen inverosimile paulo postea, aut viris apostolicis, aut successoribus Episcopis ipsa praedia fuisse largitate fidelium oblata vel a Diaconis ex mandato Antistitum vendenda, et eroganda in pios usus, vel etiam retinenda eo usque donec praediorum possessio utilis aut opportuna videri Ecclesiae posset. Etsi enim *can. 5 causae 12 quaest. 2^a et can. 12 causae 17 quaest. 4^a in Decreto* demonstratur Ecclesiam jam a temporibus Pii I Pontificis, seu a medietate saeculi secundi Christi jam possedisse fundos seu immobilia; tamen cum isti canones sint conficti ab Isidoro Mercatore merito spernuntur. Non desunt tamen argumenta ad id arguendum, inter quae est Edictum Constantini Magni latum Mediolani, quo Ecclesiis jubentur restitui omnia bona, quae fuerant in persecutione ablata, quaeque esse nequibant nisi fundi ad hanc communitatem pertinentes. Sed splendiores fuerunt largitates fidelium erga Ecclesiam de quibuscumque bonis, et praesertim immobilibus tempore memorati Constantini Magni, cujus lex refertur in Codice Justiniani *Lib. 1° Tit. 1° De Sacrosanctis Ecclesiis*

bona
 {
 Quaedam immediate pertinent ad cultum div. Temples, Hospitia
 {
 mediate, redduntur bona sup. dicta eccles. commun.
 ornamta, ad sustentationem

Leg. 1^a; cujus tenor est: *Constantinus Augustus ad populum.* « Habeat unusquisque licentiam Sanctissimo catholico venerabilique Concilio decedens bonorum, quod optaverit, relinquere, et non sint cassa judicia. » Qua lege unicuique Clericorum collegio haereditates aut legata relinquere permittebatur. Fuit hoc non privilegium libere concessum, sed reddita justitia licet sera, nempe post tercentos et amplius annos persecutionis ac flagrantis injustitiae. Etenim si Imperium Romanum recognoscebat ut Collegia licita quaecumque religiones falsas, profecto tenebatur recognoscere ut licitum collegium veram Christi religionem, eique proinde concedere, seu ipsi recognoscere jus possidendi quaecumque bona etiam immobilia, quae ex justo titulo acquisivisset, ut erat ex testamentis et legatis aliisque donatis a quocumque fidei religionis causa. Ex his factum est, ut progressu temporum Ecclesia magnas acquireret divitias, non tam ex contributo Guberniorum, quam ex spontaneis elargitionibus privatorum, praesertim in bonis immobilibus, quorum redditus expendebantur non modo in aedificandis ac reparandis templis et cultu divino in eis exercendo, ac pro sustentatione Clericorum, sed maxima pars expensa fuit in explendis christianae charitatis officiis. Ex iis enim temporibus instituta noscuntur Brephotrophia, Orphanotrophia, Nosocomia, Xenodochia, Gerontocomia, et Ptochotrophia, atque ii redditus pro tradenda etiam in-

Bona humana
 {
 Religio
 Legum non oblig. Eccles. in hoc cas. tates habeat - pro Eccles.
 de propriis et independem esse extendi ad ipsa res immobilis

structione fuerunt distincti. Et licet in iis expendendis aliquando irrepserint abusus, isti tamen fuere personales, proinde temporanei, et non tam frequentes, prout ab adversariis contenditur.

2.º Hanc recensioem Christianae Religionis inter Collegia licita, et recognitionem omnium jurium religiosae associationis usque fere ad nostra tempora retentum est a Juristis fuisse non merum privilegium liberae concessionis, prout indicavimus, sed debitam justitiam, licet nonnulli Imperatores ex aemulatione aulicorum minus liberales se in Ecclesias ostenderent, vel etiam aliquando per summam injustitiam obtentis ex liberalitate fidelium divitiis eas spoliarent. Hodie tamen Juristae ex schola sic dicta liberalium aliter tenent, licet non unius sint opinionis. Sunt siquidem audaciores, qui putant ex libera Status voluntate pendere concedere *enti morali* seu *collectivo personalitatem civilem*, ut utar verbis hodie in usu: ex qua concessione fit, ut ens morale seu collectivum habeat jus possidendi, administrandi sua bona etc.; hinc in Status potestate esse eam concessionem negare, vel semel concessam eripere aut tollere. Sed haec opinio adeo falsa visa est, ut alii Juristae ex dicta schola quoque liberalium ipsam traduxerint ut summe exageratam, nec fundatam in rerum veritate. Quid enim? An non licet homini in societate civili constituto cooptari inter membra alicujus associationis religiosae, et in casu nostro Religionis Catho-

licae? Et cum quaevis associatio etiam eminenter spiritualis indigeat pro sui propagatione atque existentia inter homines mediis materialibus, an non licebit istis sociis sibi haec media procurare, et praesto habere pro quibusvis circumstantiis ex possessione etiam fundorum, ut non teneantur dietim vel annuatim opem quaerere pro emergentibus necessitatibus? Si quis id neget, miserriam profecto et vere servilem constituet civium conditionem sub Statu. Et tamen hanc civibus asperrimam legem imponunt isti neotherici Juristae, maximam nihilominus libertatem verbis portendentes! Qui etiam se vere impios exhibent, dum Guberniis suadent, ut associationibus religiosis, et praecipue Ecclesiae Catholicae denegent jura civilia, quae libenter concedunt aliis associationibus industrialibus, commercialibus, caeterisque omnibus. Dico maxime impios se ostendere, quia detrahunt juribus ingenitis Ecclesiae Catholicae, quam Status deberet recognoscere omnino liberam in exercitio dictorum jurium. Leges civiles proinde, ut dictum est, non ex largitate, sed ex justitia recognoverunt omnia jura Catholicae Religionis.

3.º Alii moderatiores dum ex una parte re-
fellunt abnormitates explicatae sententiae, nihilominus associationes religiosas et praesertim Ecclesiam Catholicam subdunt legislationi Status hoc temperantiori modo. Dum enim ipsi contendunt associationes religiosas et praesertim Ecclesiam Catholicam esse a Statu respiciendam ut juridicam

societatem, ex altera parte volunt eam esse obnoxiam omnibus limitationibus, quas Status putet in ea esse inducendas. Istorum theoriam et adspiraciones nemo alius forma elegantiori et majori robore argumentorum exposuit, quam modernus Auctor Minghetti in Opere « *Stato e Chiesa* » *Ulrico Hoepli Editore Milano 1878*. Auctor hic transacti temporis condiciones non expendens, sed simpliciter evolvens aut exponens de unione inter Ecclesiam et Statum civilem, nullam videtur movere quaestionem de rationabilitate exigentiae Ecclesiae, ut sua jura omnia a Statu civili recognoscerentur, quamvis acerbis verbis utatur contra Ecclesiam, et Guberniorum civilium commendet oppositionem alias exercitam. Movet autem ab hoc asserto *pag. 190*, unionem Ecclesiae cum Statu evenisse non in sequelam alicujus theoriae, sed esse simpliciter factum historicum, cui aliud factum historicum debet succedere, nempe separationis Status ab Ecclesia. Scopus proinde hujus libri est determinare quaenam sint Ecclesiae jura in ea conditione, qua Status sit ab ea separatus, quam conditionem unice possibilem et utilem utrique nititur demonstrare. Verba de hoc libro eo libentius facimus, quia ex eo nobis demonstratur quae sit praesens Ecclesiae conditio in Italia, et quibus informatae principiis leges edantur. Non omnes ejus opiniones hic expendimus, sed eas, quae ad nostrum titulum referuntur, in aliis quoque titulis alias exposituri.

Censet Auctor Statum solummodo habere in societate potestatem et imperium; proinde ipsi soli competere potestatem legum condendarum cum *sanctione coercitiva*, nempe obligandi cives ad earum legum observacionem etiam adhibita vi. Ex quo potestate juxta ipsum sequitur, ut Status vigilet super cives et associationes, ut ipsi ipsaeque non egrediantur fines suorum jurium *pag. 77*. Associationes religiosas, comprehensâ inter eas Catholicâ Ecclesiâ, recognoscuntur a Statu, eruntque athonomae et independentes, si tamen observent normas a Statu determinatas *pag. 81*, quamvis Status ex causa sibi benevisa vel denegare recognitionem, vel semel datam valeat auferre *pag. 129*. Inter quas normas a Statu ponendas potest esse quoque hanc, ut determinetur forma possessionis bonorum, puta quod non eis liceat possidere in fundis urbanis vel rusticis, excepta Ecclesia, presbyterio, hospitalibus, scholis, connexisque viridariis *pag. 126*; sicut pariter determinare valet Status quantitatem reddituum pro quavis associatione: ita quoque constituere quaenam forma sit administrationis istorum bonorum. Ad normam horum principiorum editae sunt in Italia leges *diei 7 Julii 1866* « Sull'abolizione degli Ordini Religiosi, e la conversione dell'asse ecclesiastico, » et *diei 15 Augusti 1867* « Sulla liquidazione dell'asse ecclesiastico. »

4.º Quibus tamen assertionibus possunt opponi sequentia argumenta. Miramur imprimis Au-

ctorem putare unionem Ecclesiae cum Statu fuisse simpliciter factum historicum: est siquidem factum cum jure conjunctum. Profecto nisi societas facta esset christiana, quod est factum historicum, numquam habuissemus Ecclesiae Catholicae cum Statu unionem: at posito illo facto, jure Ecclesia poterat exigere subordinationem Status, eo tamen sensu, quem explicavimus *Tit. II° Libri I.°* Quod si deinde superveniat factum aliud, quod societates sint mixtae religionis, ex hoc ad summum sequetur, quod Status nequeat illam Ecclesiae exclusivam dare protectionem, quam ante illud factum concedebat. Sed, quod capitale est, nequit Ecclesiae juribus praejudicare, nisi de consensu per concordata ejusdem Ecclesiae. Hoc adeo verum est, ut plures quoque de schola liberalium, quos citat idem Auctor *pag. 212*, inter alios *Laurent « L'Eglise et l'Etat depuis la revolution, »* et *Jules Simon « Liberté de conscience, »* et *Ferranti « Sulla pena di morte, »* quem citat *pag. 79*, putent hodie inter Ecclesiam et Status deveniendum esse ad concordata. Sed adversus Auctorem dimicabimus ipsis admissis principiis modernae civilitatis. Juxta placita scholae liberalium, Ecclesiae nullum privilegium est concedendum, sed pro ea erit omnimoda libertas sub enunciatione generali *libertatis conscientiae et cultus*. Porro quaecumque sit auctoritas suprema Status, certum est, et ab ipsis adsertoribus hujus systematici admittitur, illum non creare, sed tantum

recognoscere jura ordinis moralis et materialis, neque entibus quibuscumque ipsum largiri jus proprietatis, sed tantum recognoscere. Quae recognitio entium et juris proprietatis non est libera, sed necessaria, ne in merum labamur despotismum, cujus limites nulli erunt: *Parlamento Italiano Camera dei Deputati, Discussioni, Sessione del 1867, Tornata dei 5 Luglio 1867, Discorso dell' Onorevole Conti pag. 1893*. Neque est differentia in utroque sive quoad personas singulares, sive quoad *entia collectiva*, quia, ut dictum est, habetur libertas associationis. Unus casus est, in quo Status potest recognitionem hanc denegare, nempe quando ens collectivum opponitur aperte et directe fini ejusdem Status, quemadmodum personis singularibus tunc potest et jura civilia denegare aut tollere; quin imo et ipsam vitam auferre, si sint in aperta oppositione contra ipsum Statum jure defensionis. Atqui postremum hoc de associatione Catholicae Religionis dici non potest, cum non valeat ab ullo negari eam esse veram religionem, ejusque instituta cunctis sint cognita. Quin imo, si Status aliquis putaret sibi esse haec instituta hostilia, profecto retinendum esset eum esse in errore, eumque potius removendum, quam institutum hoc religiosum (cum Status sit diversa res a societate, et ejus velut Auctoritas). Religioni Catholicae proinde nec recognitio denegari potest, neque jura possessionis aut administrationis. Et post ea, quae hic

advertimus, nonnisi per meram injustitiam aut denegationem principiorum a schola liberalium admissorum valet denegari possessio quarumcumque divitiarum etiam in bonis immobilibus urbanis ac rusticis. Sicut enim nefas esset cuiusque civi id denegare, sic pariter citra injustitiam ei denegari nequit: quemadmodum omnino arbitrarium est illi assignare taxam seu redditum bonorum possidendorum, ultra quem ei non liceat amplius possidere. Cum enim Status non creet pro illis, quos respicit, proprietatem, neque jus eis det possidendi, sed tantum recognoscat haec jura naturalia; hinc si pro personis singularibus Status nequit assignare certum redditum, ultra quem non liceat eis amplius possidere, aut eis prohibere ne possideant in fundis rusticis vel urbanis; sic neque hoc poterit impedire entibus quibuscumque collectivis et Religioni Catholicae quoad formam et limites possessionis. — Objectio hic locum habet satis celebris et pluries repetita de possessione *di mano morta*: at haec difficultas potius ad aemulationem quam pro veritate fit. Ad quid enim haec fit difficultas? Vel ratione tributorum, aut ratione culturae agrorum et majoris redditus. Si fieret ratione tributorum etiam indirectorum, haec facile dissolveretur, cum majores quoque nostri sciverint aliquid determinare pro tributis exigendis in possessionibus entium moralium. Ad instar quindenniorum pro emphyteusi possessa a persona morali, possent institui taxae extraor-

dinariae pro quibuscumque possessionibus earumdem personarum moralium; et hodie invectae sunt et taxae speciales pro sic dicta *mano morta*. Et suprema Auctoritas Ecclesiastica facile hoc consentiret. Nulla igitur pro aerario pertimescenda est reddituum minoratio. — Si vero pro cultura agrorum haec movetur difficultas, et tunc eadem exurgit pro quocumque possessore, qui scilicet bona acquirat ultra id quod ipse excolere possit suis viribus. An putamus magnos proprietarios fundorum, quemadmodum nos plures habemus, fundos excolere meliori modo, ac colantur illi, qui ad Ecclesias pertinent? In agro romano non minus inculti remanent fundi pertinentes ad Ecclesias, quam qui ad Magnates pertinent. Imo major ratio culturae aliquando in fundis ab Ecclesia possessis reperitur, quam in fundis ab istis privatis possessis. Revera, qui fundi possidentur a Trappistis, maximam culturam suscipiunt. Et si in Anglia, vel in aliis nationibus aliquis ditissimus privatus culturae se dedicat, potest ne Status aliis omnibus divitibus eandem culturae legem imponere? Et tamen pro fundis ab Ecclesia possessis Statistae isti neotherici proponunt hanc difficultatem, pro privatis non ponunt. Sed populus ab istis pseudo-doctis instructus nullam facit inter utrosque distinctionem; et dum videt legislatores attendere ad conversionem patrimonii ecclesiastici, ipse per theoriam communismi intendit dividere divitum patrimonium.

5.° Quae diximus de jure possidendi et forma possessionis, haec etiam aptantur ad jus administrationis, sicut quae diximus de associatione catholica in genere, ea aptantur aliis entibus peculiaribus sub associatione catholica comprehensis, puta monasteriis aliisque religiosis coetibus. De hisce ultimis eorumque suppressione tamen loquimur fuse in *Tit. XXXI hujus libri*; modo haec subjungimus. Nemo non videt Statum praetergredi fines sibi impositos, admissis quoque principiis liberalium, quando, ut contendit Auctor *pag. 120*, beneficium ecclesiasticum dicitur esse abolendum, ex eo quod ejus forma possessionis non sit conformis indoli hodiernae civilitatis. Sicut praetergreditur fines potestatis Status, ut rerum ad Ecclesias pertinentium constituatur forma administrationis, quae conditioni temporum magis consentanea sit, ut indicare videtur Auctor *pag. 122, et 126*, de quibus inferius loquemur. Isti moderni Status, sive se dicant Ecclesiae protectores, ut Joseph II Austriae, sive se censeant omnino ab Ecclesia separatos, semper volunt ingredi in Ecclesiam, et in utraque hypothesi revinci semper possunt de usurpatione. Inverecundior autem est Statuum positio, si id attentent secundum moderni juris publici principia, utpote quae ab ipsis tamquam complementum civilitatis extolluntur. Haec enim exhibent cujuscumque religiosae associationis conditionem eandem esse ac singularum personarum et familiarum, admissa

limitatione jam superius exposita. Proinde sicut Status nequit denegare jura civilia personis, sic nec associationibus; et prout non valet limites imponere divitiis acquisitis a privatis, non distinguendo inter divitias mobiles et immobiliarias, a pari nec pro associationibus religiosis id potest: et demum quemadmodum non potest privatis imponere, ut rerum suarum administrationem habeant juxta modernum ordinem vel antiquum; sic nec potest id exigere a personis moralibus, seu associationibus religiosis.

6.° Sed istae, prout supra inuimus, sunt responsiones *ad hominem*, nempe ex principiis ipsis a schola liberali admissis. Ceterum pro nobis, qui jure tenemus Ecclesiam esse societatem omnino independentem a societate civili, (quae dirigentes eundem hominem debent amico foedere inter se convenire) nulla ratione est loquendum de hac recognitione Status cum appositis limitationibus, sed recognoscimus antiquam regulam propositam a Constantino in jam *cit. lege 1^a de sacrosanctis Ecclesiis*, quae veterem abstulit injustitiam Romani Imperii. Et hanc duplicem societatis humanae directionem, unam quoad religionem, alteram quoad civilem conviventiam concorditer procedentem idem Auctor visus est licet subobscurè admittere *pag. 78*: « Lo Stato è un » organo naturale, necessario, nobilissimo della » società, nè menoma la grandezza, la dignità de » gli altri organi di essa. Finalmente nulla vieta

» e tutto consiglia, che lo Stato e le altre istituzioni, che si formano nella società procedano » concordi nel promuovere il bene, e la perfezione » degli uomini. » En conceptus societatis humanae subjectae duplici Auctoritati, uni quoad religionem, alteri quoad civilia. Quae non constituunt Statum in Statu, quia diversi ordinis sunt, ut *lib. I^o tit. II^o* dictum est. Quinimo ipsa indoles Ecclesiae Catholicae praetergradientis limites cujuscumque Status, imo nescientis limites neque temporum nec locorum, eam omnino eximit ex sui natura a jurisdictione Status, ut confitetur Auctor *pag. 108*. Ex quo satis intelligitur quaenam sit conditio Ecclesiae Catholicae omnino singularis quoad alias falsas religiones, quae sunt territoriales, unde vel Catholicae Religioni facienda est in omni Statu conditio vere peculiaris, aut per summam injuriam rejicienda est, et non computanda inter religiones Status, quod attempta ejus nobilitate nemo Jurista ex schola quoque liberali ex verecundia sustinere audet, et nequidem hypocrite exposcere.

7.^o His animadversis, redeamus ad nostrum institutum. Ecclesia suas divitias sive mobiles sive immobiles administravit per Episcopos opera et labore Diaconorum, ut unicuique Clerico daretur sua reddituum pars, sicut assignata erat symbola pro Ecclesiis, et pro aliis locis piis; unde Cyprianus Clericos appellabat *fratres sportulantes*, propterea quod unusquisque eorum in sportulis tri-

butum peculium et victualia referebat. Eusebius Vercellensis Clericos ad vitam communem traduxit cum Episcopo ad instar Monachorum, et Augustinus eandem oeconomiam Mediolani eductus, in Hipponensi Ecclesia instauravit. « Post factum vero Augustini, ut docet Berardus *op. et loc. cit.* et praesertim post regulam scripto editam, ac de manu in manum traductam, Episcopi numero plurimi eadem vestigia presserunt, » unde passim in unaquaque fere Cathedrali Clerici communem vitam amplexi sunt, sub regimine praesidentis Episcopi, et sub conditione oeconomorum, ut plurimum, ex Diaconis electorum. Videantur in hanc rem *canon. 10, 11, et 18 caus. 12 quaest. 1.^a* Itaque hucusque tantum in eo disciplina vetus immutata apparuit, » quod Clerici olim sejuncti in quoddam velut collegium coaluerint; caeterum adhuc Episcopi generalem curam bonorum ecclesiasticorum gerant, quam oeconomis, sive Diaconis demandant, a quibus etiam reddendas rationes exigebant. » At ex eo jam tempore taeduit Clericos vitae communis, unde cogitatum est eis assignare partem bonorum ad Ecclesiam pertinentium, qua sustentarentur, relicta quoque eis administratione sub beneficii nomine mutuato a jure feudali quoad milites. De qua re ita loquitur Berardus *loc. cit.* « Asserere possum nomen beneficii recentius esse Gregorio Magno, antiquius Maguntino et Francofordiensi concilio prodire coepisse

» sub finem saeculi sexti, vel saeculo septimo,
 » vel etiam saeculo octavo jam fluente, quin certo
 » definiri possit, quo primum tempore invaluerit.
 » Verosimile est nomen illud Clericorum juribus,
 » vel oneribus tunc fuisse accommodatum, cum
 » obtinuit, ut feudorum jura beneficiorum etiam
 » nomine nuncupata reciperentur. Tunc enim
 » quemadmodum milites, qui certam rem fruendam,
 » vel utendam acceperant ab Imperatoribus
 » ducibusve, beneficia accepisse dicebantur *lib. 1°*
 » *Feudorum tit. 1°*, et passim, ita beneficium
 » quoque accepisse dixerunt Clericum, qui eccle-
 » siasticum pro virili parte administrandum pecu-
 » lium obtinisset. » Atque ex eo tempore illa
 divisio bonorum Ecclesiae facta est in quatuor
 partes; et prima pro cultu divino, alia pro ope-
 ribus charitatis christianae impensa est, tertia pro
 mensa Episcopi; et demum quarta pro sustentatione
 Cleri, in totidem subdivisa partibus vel be-
 neficiis. Sicut vero diversae partes, sic diversae
 administrationes. Episcopus enim mensae suae
 bona administravit: fuerunt pro operibus chari-
 tatis christianae, puta pro hospitalibus etc diversi
 administratores sub vigilantia Episcoporum Dioe-
 cesanorum; quisque beneficiatus sicut vivebat de
 redditibus assignatorum pro suo officio bonorum,
 sic quoque ea administrabat; bona demum pro Ec-
 clesiis et cultu divino vel administranda relicta
 sunt collegiis Canonorum in iisdem Ecclesiis
 existentibus, sive ea bona discreta essent a massa

capitulari, sive non; vel administranda Parochis
 aut Beneficiatis pariter in iisdem Ecclesiis existen-
 tibus; aut demum ex jure consuetudinario fue-
 runt administrata a sic dictis *Fabriceriis*.

8.° Fabriceriae nomine venit Collegium ele-
 ctivum laicorum determinati loci, quod admini-
 strat bona ecclesiastica deputata ad manutentionem
 Ecclesiae, aediumque cultui divino addictarum, et
 ad praebendas expensas pro cultu. Et jam ab
 initio saeculi decimi tertii haec laicorum collegia
 instituta videmus. Odo enim Episcopus Parisiensis
 anno 1204 quatuor constituit Fabricerios, seu
 matricularios, seu provisores laicos pro sua Ec-
 clesia parisiensi, et Concilia habita in Galliis
 saeculo eodem decimo tertio supponunt Fabrice-
 rias a laicis esse administratas. Constitutio haec
 facta censebatur in adjutorium Cleri; id autem
 nulla ratione opponebatur supremae administra-
 tioni Episcoporum; nam ex una parte isti admi-
 nistratores constituebantur ab Episcopis, et ex
 altera eis debebant exercitae administrationis red-
 dere rationem, quemadmodum expresse inculcat
 quoque Concilium Tridentinum *sess. 22 cap. 9*
de reform. Equidem potestas laica jam sae-
 culo XIV suam auctoritatem in his administra-
 tionibus interponere coepit jubens, ut isti admi-
 nistratores rationem redderent iudicibus saecula-
 ribus a se statutis, quemadmodum ex ordinatione
 Caroli V Regis Francorum de anno 1385; sed
 plurimum Conciliorum peculiarium animadversione

usurpatio haec compescita fuit, et praecipue excitato canone Concilii Tridentini. Et revera Carolus IX Francorum Rex suis litteris de die 3 Octobris 1571 confirmavit decreta Concilii Tridentini, et abolevit dictam ordinationem Caroli V. Post id temporis in pluribus catholicis regionibus istae administrationes laicorum viguerunt, et adhuc vigent, modi eligendorum sociorum satis diversi sunt pro diversis consuetudinibus locorum. Gubernia civilia in iis recognoscendis sese immiscunt cum approbatione tacita vel expressa Auctoritatis supremae ecclesiasticae, et in hoc nihil reprehendendum videmus, si salva semper sunt haec duo principia, nempe primo bona haec administrata remanere exclusive in peculio Ecclesiae, et secundo hanc administrationem subesse vigilantiae Episcoporum, atque non nisi ex assensu auctoritatis Ecclesiae ipsis laicis demandari. Non tacemus tamen aliquando potestatem civilem plus aequo se immiscuisse in ipsis gerendis negotiis, et ab Auctoritate ecclesiastica non semel fuisse hac de re redargutam, quemadmodum in articulis concordatorum ista negotia plerumque ordinata sunt.

9.º Ecce autem nunc Juristae ex schola liberalium instaurare nituntur, quod ex Caroli V Regis Francorum ordinatione fuerat constitutum, licet, ut diximus, procedant ex alio principio, separationis nempe Ecclesiae a Statu. Revera Auctor Minghetti *opere cit. pag. 215* contendit conceptum *beneficii* non esse amplius compatibilem

cum regimine generali proprietatis, et cum relationibus civilibus nostri temporis, proinde separandum esse officium a beneficio, et instituendas esse congregationes electivas et responsables, quae bona ecclesiastica administrent, ut provideant necessaria pro ministris cultus, pro aedificiorum sacrorum reparatione et constructione, ac pro cultu divino: quae congregationes subsint et publicae redditioni rationum, et tutelae Tribunalium civilium, coram quibus suas rationes exponere valeant et ministri cultus, et omnes illi, qui interesse habent pro conservando patrimonio Ecclesiae, et pro aequa erogatione dictorum reddituum. Et sic contra omnia principia tum veteris juris, independentiae nempe Ecclesiae a Statu, tum novi juris, omnimodae videlicet libertatis Ecclesiae ab istis Doctoribus adsertae, Status se ingerit in destructione et instauratione entium ecclesiasticorum, et in administratione bonorum ad Ecclesiam pertinentium. Quin imo longe major est usurpatio istorum, quam fuerit veterum Guberniorum; scopus enim ipsorum est procedere hoc modo ad perturbandam Ecclesiae ordinationem quoque in spiritualibus; quod idem Auctor revelat *pag. 216* his verbis: « Ma egli è evidente, » che introdotto il principio elettivo nelle congregazioni (Fabriceris), dove i laici avrebbero » la massima parte, e affidata loro l'amministrazione e la responsabilità, il germe della riforma » è gittato, è aperta cioè la via al laicato catto-

» lico, ed al Clero minore di conseguire non solo
 » nell'ordine temporale della Chiesa, ma altresì
 » nell'ordine spirituale quelle mutazioni, che rispon-
 » dano al bisogno della coscienza loro, e alla neces-
 » sità dei tempi. » Seu, ut dicitur *pag. 217*, « questo
 » può essere scala a maggiori franchigie, e con-
 » durre alla elezione stessa del Parroco e del Ve-
 » scovo, dalla quale v'ha chi trae ogni ulteriore
 » riforma. » Merito proinde hic liber fuit a S. Con-
 » gregatione Indicis damnatus Decreto 9 Aprilis 1878.

10.° Hic coronidis loco illa quaestio est eno-
 danda: ad quem pertineat proprietates rerum ec-
 clesiasticarum? Hanc non esse hodie quaestionem
 inutilem demonstrant ea, quae a Juristis scholae
 liberalis, et a fautoribus separationis Status ab
 Ecclesia statuuntur; isti enim aperte fatentur se
 non posse Ecclesiam universalem recensere inter
entia juridica, sed tantummodo associationes
 partiales, ut parochiae sunt, vel dioeceses, vel
 fundationes, aut corporationes (*Minghetti op. cit.*
pag. 108); unde concludunt Ecclesiam universa-
 lem quoad Statum considerari posse ut associa-
 tionem, sed non ut ens juridicum. At ex principiis
 ab ipsis adversariis admissis, prout idem Auctor
 innuere videtur in *d.° oper.° pag. 108, et 109*,
 et ex juris canonici dictionibus clarum est pro-
 prietatem istorum bonorum pertinere ad ipsam
 associationem, seu Ecclesiam Catholicam univer-
 salem. Equidem secundum jus romanum quod re-
 ligio occupavit, desinit esse sub potestate omnium,

et evenit nullius; seu melius Dei et religionis
 sub potestate tantummodo est: in casu autem
 nostro relate ad Statum admittentem plures re-
 ligiones, haec bona sunt associationis religiosae,
 et, in hypothesis, Catholicae Ecclesiae. Ipse Sum-
 mus Pontifex hac in re non sese gerit ut pro-
 prietarium, sed simpliciter ut supremum admini-
 stratorem, prout aperte edicitur in *cap. 2° h. t.*
in VI; nempe « Ecclesiarum, personatum, di-
 » gnitatum, aliorumque beneficiorum ecclésiasti-
 » corum plenaria dispositio ad Romanum noscitur
 » Pontificem pertinere, » licet fateamur usumfru-
 ctum illorum bonorum respective pertinere regu-
 lariter ad illas speciales associationes, quibus
 eadem bona a fidelibus relicta sunt. Dico *regula-*
riter, quia ex jam asserta plenaria dispositione
 Summi Pontificis, posset ab eo ratio usus fructus
 mutari, sicut potest intervenire condonatio fru-
 ctuum, usque dum ad privatas personas non per-
 venerunt, prout constat ex pluribus Rescriptis S.
 Poenitentiariae Apostolicae ex facultatibus con-
 censis in Bulla Benedicti XIV « *Pastor Bonus.* »

11.° Praeter bona temporalia tum in divitiis
 et bonis mobilibus, tum in bonis immobilibus,
 Ecclesia habuit quoque sic dictas *jurisdictiones*,
 nempe dominia temporalia regionum. Haec in
 aliquibus Ecclesiis venerunt ratione feudi; unde
 Episcopi dicebantur Barones vel feudatarii; circa
 quod jus habuit locum quaestio *de investituris*
 terminata sub Callisto II anno 1124. — Alii Epi-

scopi temporale dominium habuerunt, ut Electores S. Imperii; prout erant Archiepiscopus Maguntinus, Coloniensis, Trevirensis et Salisburgensis. Inter hos habentes temporale gubernium eminet Romanus Pontifex, qui in Romanis Statibus habebat jurisdictionem temporalem vel civilem. Jurisdictiones istae vocatae sunt quoque *beneficia*, etsi nomen non sit admodum proprium, praesertim ratione habita ad praesens tempus, quo istud nomen improprium est, quasi dominium temporale esset ad exclusivam utilitatem possessorum, cum princeps sit pro populo sibi commisso. Sed in locutione ecclesiastica semper veniunt sub nomine *jurisdictionum*, prout ex Concilio Tridentino *sess. 22 cap. XI de reform.* Quoniam has jurisdictiones legitime habuerunt Ecclesiae, sic de earum privatione injusta conquestus est Pontifex, et tota associatio catholica, prout historia recentiorum temporum refert. Quia vero non omnium istorum jurium aequalis ratio erat, sed inter omnia eminebat principatus civilis Romanae Sedis; hinc est, quod pro ejus amissione graviores fiant questus. Et merito quidem, cum hoc jus et ad potiore Cathedram pertineat, et afficiat universam catholicam societatem. Nos de hoc uno agemus principatu, simul enunciantes ejus potioritatem, et respectum ad universam Ecclesiam.

12.º Initia istius principatus civilis ad Romanam Sedem pertinentis antiquissima sunt, et pertingunt ad saeculum septimum Ecclesiae. Quin

*Palatium sive domus ad curiam
et ad curiam papalem officium ja accepit*

enim insistamus in *divino afflatu*, quo juxta Eusebium Constantinus Magnus Romam deseruit, et Bizantium petiit, Constantinopolim Novam-Romam conditurus, certum est sub initio saeculi septimi Romam ejusque limitofas provincias vi grassantium in Oriente haeresum, incursibus barbarorum patuisse, et ignavia Constantinopolitani imperii derelictas, ac veluti vacante domino temporali, adeo adhaesisse Summis Pontificibus, quorum opera et labore pluries ab incursu barbarorum salvae factae erant, ut eis se dedissent regendas et gubernandas. Quae proinde dominatio, ut decens erat, initium omnino impollutum ac justum habuit. Errant proinde contra historicam veritatem, qui hujus temporalis domini initia repetunt a Pipini, et Caroli Magni donationibus. Isti siquidem, ut refert historia, et justitias S. Petri violatas, et a Longobardis usurpatam jurisdictionem provinciarum magnis animis restituerunt, ac nova concessione provincias, utpote justo bello redemptas, reddiderunt, non primitus donarunt. Quod vero Carolus Magnus nomen Romani Patritii, aut Senatoris sibi vindicaverit, vel melius assumpserit, hoc nihil detrahit Summorum Pontificum dominationi; nam exploratum hodie est hanc dignitatem Patritii non esse aliud, nisi assumptum sibi munus defensoris auctoritatis papalis super dominio romanae civitatis asserto et vindicato Summis Pontificibus, quemadmodum nomen Imperatoris pro primo munere importabat

*saeculum indigetum defensorum
Palatium sive officium*

defensionem fidei catholicae. Hinc decipere convincitur aperte Minghetti *in cit. opere pag. 65*, cum ait: « v'ha taluni, che immaginano ed effigiano il potere temporale dei Pontefici come » sempre identico a se stesso dalla sua origine: » costoro dicono, che da Pipino e da Carlo Magno » fino ad oggi per mille anni, fu il suo possesso » riconosciuto ed esercitato liberamente: questo » giudizio è del tutto fallace. Il potere temporale » dei Papi ha avuto forma ed indole diversa secondo i tempi, e pigliò l'essere suo proprio » soltanto dal secolo XVI. Tanto era lungi Carlo » Magno dal credere, che Roma fosse necessaria » al Papa, che nell'atto stesso, a cui si fa risalire » il titolo di questa sovranità, esso si riserva i » suoi diritti e sul Papa, e su Roma. Non è » veramente, che da Sisto IV, Alessandro VI e » Giulio II, che il potere temporale comincia a » formarsi secondo che lo si concepisce oggi, sebbene bene ancora per lungo tempo e sino alla fine » del secolo scorso si conservino sotto di esso » molte franchigie municipali. » Si valeret argumentum ab Auctore propositum, tunc dicendum esset neque hodierna imperia fuisse satis antiqua, cum ablatio libertatum municipalium sit satis recens. — Saeculo undecimo successit donatio Mathildis Comitissae, quae auxit provincias subjectas civili dominationi Sanctae Sedis Apostolicae.

13.º Inspiciendum nunc est quo in pretio habitus sit hic civilis principatus S. Sedis. De le-

terminis verbis Roma etc. tempore etc. S. Sedis hic hic etc. principatus ad defensionem vocaret.

gitimitate ejusdem nemo, ne hostes quidem hodie diffitentur, cum evidentissimis argumentis ea demonstrata sit. At longe alia ratio aestimationis est quoad Catholicos, et dissidentes. Catholici enim magnis efferunt laudibus istas donationes vel restitutiones a summis Principibus factas, eosque erga universalem Ecclesiam benemeritos conclamant. Plures Pontifices, nempe a saeculo septimo ad nostram aetatem omnes, et inter eos praecipui doctrina ac sanctitate spectabiles, illud dominium retinent ac vindicant contra eos, qui invadunt, aut turbant ejus pacificam possessionem. Nec satis; nam Concilia omnia generalia, quae per id temporis acta sunt, et sunt *novem*, non solum nihil super hoc temporali dominio reprehendendum inveniunt; sed plura ex iis specialia nonnulla constituunt ad has possessiones defendendas. Nam Concilium Lateranense IV, et Concilium Tridentinum contra violatores temporalis domini Ecclesiarum anathemata interminant, ut spectare licet in *sess. 22 cap. XI Conc. Trid.* Quinimo ipsum Constantiense Concilium, quamvis vellet reformare Ecclesiam in capite et in membris, nihilominus non modo non putat hunc Romanorum Pontificum civilem principatum illegitimum; sed quoque decretum edit pro ejusdem administratione per suos delegatos. — Ista vero dominia ad Sanctam Romanam Ecclesiam pertinent, et Pontifices pro tempore existentis non sunt nisi administratores supremi. Haec omnia ex Bullis Pontificiis referun-

tur apud Ferraris (*Bibliotheca Canon. Verb. Feudum Art.º 2º num.º 6º et seqq. ibi*): « Papa » noviter assumptus in summum Pontificem debet » promittere, et iurare de non infeudandis Civitatibus, Oppidis, et locis Sanctae Rom. Ecclesiae, et post Coronationem debet suis literis » confirmare. Sic statuit S. Pius V in Constit. » *Admonet*. Quam Constitutionem confirmarunt » Pontifices successores, Greg. XIII Const. *Inter cetera*, Sixtus V Constit. *Quanta*, Gregor. XIV » Constit. *Quae ab hac Sancta Sede*. Hujusmodi » infeudationes consulentes, easque Summo Pontifici per se, vel per alium insinuantes, vel suadentes excommunicationis poenam, ac laesae » Majestatis etiam in primo capite, et confiscationis bonorum privationisque Dignitatum, ac » beneficiorum eo ipso incurrunt: S. Pius V in » citat. Constitutione incipiente *Admonet* § 3. Cardinales in assumptione pilei, et, Sede vacante, » in Conclave jurare debent praedictam Constitutionem observare, eique non contravenire, nec » Pontificibus contrafacientibus consentire, nec » absolutionem a juramento petere, nec oblatam » aut concessam acceptare: S. Pius V in cit. » Constit. *Admonet* § 9. Civitates, Oppida, et » Loca S. Romanae Ecclesiae, etiam infeudari, » seu alienari solita, ad Sedem Apostolicam quomodolibet devoluta, et tempore devolvenda, eo » ipso Camerae Apostolicae absque alia declaratione incorporata censentur: S. Pius V in cit.

» Constit. *Admonet*. § 2.º » — Clementis VIII, et Urbani VIII Constitutiones videantur citatae apud eundem Auctorem.

14.º Ex altera vero parte, cum ab adversariis plures spargerentur errores, isti damnati sunt ab Apostolica Sede. Primus error jam reprehensus in Synodo Constantiensi contra Wicleffitas damnatus est in litteris Apostolicis « *Ad Apostolicae* » die 22 Augusti 1851: « De temporalis » regni cum spirituali compatibilitate disputant » inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii: » *Syllabo errore LXXV*. Post quem errorem alius non minus perniciosus venit damnatus in Allocutione « *Quibus quantisque* » diei 20 Aprilis 1849: « Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes » potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel » maxime conduceret: » *Syllabo errore LXXVI*. Hisce autem erroribus profligatis, proposita est quoque doctrina postiva, nempe: — 1º « Singulari divinae » Providentiae consilio factum esse, ut Romanus » Pontifex, quem Christus Ecclesiae suae Caput » centrumque constituit civilem assequeretur principatum, » ut asseritur a Summo Pontifice in Litteris Apostolicis diei 26 Martii 1860, et Litteris Encyclicis diei 19 Junii 1860, aliisque documentis. — 2º In Allocutione « *Maxima quidem* » diei 9 Junii 1862 Summus Pontifex haec verba proposuerat: « Nil dicimus de impia conspiratione, et » pravis cujusque generis molitionibus ac fallaciis, » quibus civilem hujus Apostolicae Sedis princi-

» patum omnino evertere, ac destruere volunt.
 » Juvat potius hac de re commemorare miram
 » prorsus consensionem, qua vos ipsi una cum
 » aliis venerabilibus Fratribus universi catholici
 » orbis Sacrorum Antistitibus numquam intermis-
 » sis et Epistolis ad Nos datis, et pastoralibus
 » litteris ad fideles scriptis hujusmodi fallacias de-
 » tegere, refutare, ac simul docere hunc civilem
 » Sanctae Sedis principatum Romani Pontificis
 » fuisse singulari divinae Providentiae consilio da-
 » tum, illumque necessarium esse, ut idem Ro-
 » manus Pontifex nulli umquam Principi, aut ci-
 » vili potestati subjectus supremam dominici gre-
 » gis universi pascendi, regendique potestatem,
 » auctoritatemque ab ipso Christo Domino divi-
 » nitas acceptam per universam Ecclesiam ple-
 » nissima libertate exercere, ac majori ejusdem
 » Ecclesiae et fidelium tum utilitati ac indigentis
 » occurrere possit. » Episcopi vero Romae eo die
 praesentes antiqua vota iterarunt, et in *Declara-
 tione* « Pontifici oblata confessi sunt civilem San-
 » ctuae Sedis principatum ceu quiddam necessarium,
 » ac, providente Deo, manifeste institutum agno-
 » scendum esse, et declarandum in praesenti re-
 » rum humanarum statu, ipsum hunc principa-
 » tum civilem pro bono ac libero Ecclesiae ani-
 » marumque regimine omnino requiri. »

15.º Contra istas auctorabiles assertiones mi-
 rum est quot proposuerint difficultates illi omnes,
 qui infensi erant civili dominationi S. Sedis, et

in genere omnes sic dicti liberales. Dicebant e-
 nim: — (a) Ecclesiam ad id tandem devenisse, ut
 civilem S. Sedis principatum inter dogmata accen-
 seret. Ast facilis fiet ad hanc propulsandam ca-
 lumniam responsio; hanc scilicet Ecclesiae defini-
 tionem non fuisse dogmaticam, quia non fuit for-
 mulata in articulum; sed tamen haec veritas de
 compatibilitate civilis Gubernii cum potestate spi-
 rituali, pariter haec maxima convenientia, quod
 S. Sedes habuerit civilem hanc dominationem, et
 haec relativa necessitas, attentis praesentibus so-
 cialibus conditionibus, constituunt totidem veritates
 morales nec simplices, sed ab Ecclesia assertae.
 Et Ecclesia non solum est infallibilis in defi-
 niendis veritatibus dogmaticis, sed et in defi-
 niendis veritatibus ordinis moralis; proinde qui
 tales veritates negaret, non modo dicendus esset
 a veritate aberrare, sed quoque vocandus est te-
 merarius et impius, qui his veritatibus assertis ab
 Ecclesia contradicit. Ecclesia vero de iis veritatibus
 judicare potest prout de factis dogmaticis; ipsi
 enim competit judicare de eo, quod sibi bonum,
 conveniens, utile aut necessarium est, sive potius
 perniciosum. Cui Ecclesiae definitioni captivandus
 est quoque internus mentis assensus, ut non liceat
 neque verbis neque factis contradicere, vel interno
 animi sensu aliter putare. Civilis proinde princi-
 patus S. Sedis de se non est materia dogmatica,
 sed ejus compatibilitas cum regimine spirituali,
 ejus convenientia et magna utilitas, imo et neces-

sitas in praesenti rerum ordine sunt veritates, quae iudicio Ecclesiae subsunt, atque sunt ab ipsa decisae, et ideo retinendae propter infallibile Ecclesiae magisterium. Quod si contradictor non faciat in fide naufragium, hoc est ex eo, quod Ecclesia non processit ad statuendum articulum; non vero quia iudicio Ecclesiae non subjacent. Hinc est, quod perturbatores et usurpatores temporalis domini Sanctae Sedis non solum laesae iustitiae rei retenti sunt, sed etiam habiti ut sacrilegi, atque censuris ecclesiasticis subjecti. Hac refertur *art. XIII Excommunicationum latae sententiae Pontifici reservatarum in Bulla « Apostolicae Sedis »* ibi « Omnes qui excommunicatione mulctantur in » Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, quarto » Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX, *Quae ab » hac Sede*, pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 » Junii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono » Kalendas Novembris 1660 alienationem et in » feudationem Civitatum et Locorum S. Romanae » Ecclesiae respicientibus. » Ex iis vero, quae retulimus satis patet, quam falso ut vir religiosus et doctus a Minghetti traducatur Bertini sequentis propositionis assertor *op. cit. pag. 210, 211*, ibi: « Bisogna finirla e ottenere a qualunque costo dal » Papa futuro la condanna esplicita di una teorica » evidentemente falsa e immorale, quale è quella, » che pone il dominio temporale come condizione » della indipendenza spirituale del Pontefice. » In

iis clamoribus agnoscimus vocem sectae *veterum catholicorum*. Erunt ne enim isti filii obsequentes Ecclesiae, qui eam insimulant docere doctrinam *falsam et immoralem*? Sed non tam cum istis sermonem habemus, quam cum secta liberalium, qui se moderatos dictitant, inter quos Minghetti; qui etsi supradictam propositionem Bertini in totum non videatur admittere, nihilominus in eo loco confitetur « che codesta teorica è divenuta assurda, » e noi abbiamo in fatti dimostrato di riguardarla » come tale. » Et sic ingredimur ad diluendam alteram difficultatem. Dicitur enim — (b) hoc civili principatu destituta fuisse Ecclesia per *octo prima saecula*; posse proinde et isto adminiculo carere etiam posthac; praesertim cum opus hoc divinum, quod est Ecclesia, non possit dici pendere a conditione hac politica et accidentali. Cui tamen difficultati contrahitur sequenti argumento. Christus voluit Ecclesiam suam initio destitutam esse omni humano auxilio, imo propagari obnitentibus cunctis humanis potestatibus, ut ejus origo prorsus divina monstraretur. Tria saecula persecutionis in initio ab Ecclesia tolerata irrefragabile constituunt argumentum ejusdem divinitatis. At chordatus quisque vir non putabit Ecclesiae statum semper eundem futurum in hoc mundo, et non potius divinae Providentiae singulari ope Ecclesiam adjutum iri illis humanis mediis, quibus indigeret, ut sua missio ab omnibus recognosceretur, et suum ministerium valeret cum utilitate

et honore exhibere. Et inter haec media potissimum locum habet principatus temporalis S. Sedi singulari divinae Providentiae consilio tributus, ut eadem Ecclesia pronuntiavit, eumque in praesentibus humanae societatis conditionibus necessarium ad illum finem consequendum recenset. Profecto etsi Ecclesia hoc quoque medio privaretur, non periret, quia a Christo dictum est: « ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. » Sicut Deus Ecclesiae adstitit primis tribus persecutionis saeculis; sic hodie adesset; et facta demonstrant Ecclesiam stetisse, quamvis Alexander III debuisset vagus existere, hospitium quaerens de monasterio in monasterium, quamvis Joannes I et Pius VI in vinculis demortui sint, quamvis Pius VII sub arcta custodia teneretur, aliique Pontifices exulare coacti sint. Nec Deum percontamur, quomodo Ecclesiae et Pontifici succurreret, cum ipse universum mundum in manu teneat. Sed hoc non esset « pro bono et libero Ecclesiae animarumque regimine, » prout fert declaratio Episcoporum jam memorata; et ingens animarum pernicies ingrueret, prout experientia luctuosa docuit. Neque dicant — (c) medium hoc non esse amplius necessarium praesertim ex mutatis socialibus conditionibus in hac civilitatis luce, et in liberis hominum guberniis, respondetur enim: si quando pro dicto fine Pontificibus Romanis fuit civilis principatus necessarius, hic profecto talis est in praesenti ex systemate dominationis socialis

nunc vigentis. Hodie enim haec dominatio Status super individua talis est, ut valeat horum libertatem undequaque coercere et extinguere. Omnia sunt sub dominatione Status, omnemque peculiarium personarum potest activitatem impedire, quod anteactis temporibus ne cogitari quidem poterat. Jure proinde necessarium creditur, quod saltem supremus christianae Religionis moderator occupet locum, in quo tutus sit ab hoc immenso Status civilis pondere gravante Ecclesiam, et queat hanc spiritualem societatem regere, cum ipse sit quoque civilis hujus loci rector. Persentiit Minghetti nostrae responsionis vim; proinde hanc difficultatem alio modo proponit *op. cit.*° pag. 65 et seqq. Ait siquidem Pontifices pro bono regimine Ecclesiae eguisse civili principatu usquedum potestas civilis in aliis regionibus poterat impedire liberum religionis exercitium pag. 66: « finchè lo Stato poteva » abusare della sua forza, e impedire talora il libero esercizio dell'autorità spirituale della Chiesa, » era conveniente, che la Chiesa stessa avesse un » territorio suo proprio, nel quale tutte le sue ordinanze, tutti i suoi atti, tutte le sue provvisioni » potessero essere eseguite senza contrasto. Di qui » la necessità del potere temporale. » Sed quando, ut ipse prosequitur, Ecclesia ubique terrarum relinquitur libera, tunc non est amplius ratio hujus domini temporalis; quod fuit objectum et scopus modernae revolutionis italicae, duce Cavour; cujus conceptum Auctor evolvit pag. 66, 67 et 68. Acu-

tiori autem huic objectioni respondetur—*primo* hanc a se propositam Ecclesiae libertatem nihil aliud esse, nisi durissimam servitutem, sicut ex dictis in antecessum patet, quando Ecclesia eget recognitione Status, prout est ens juridicum, et sub conditionibus a Statu determinandis. Daretur Ecclesiae libertas verbo tenus, sed vere esset sub hostili dominatione Status. Et data responsio est peremptoria; sed habetur et alia *secundo loco* ad hominem contra praedictum Auctorem, nempe sequens. — Haec separatio Ecclesiae a Statu licet sit in votis liberalium, et praecipue pro liberalismo in Italia sit capitale negotium, quemadmodum ipse Auctor nimis candide confitetur *pag. 69*, adhuc tamen completa non est; nec dici potest esse *factum consummatum*, pro quo isti liberales habent verum cultum, quando eis est favorabile. Quinimo in castris liberalium in hoc est dissidium, et dum plures duces cum gregariis et opinione publica instant pro separatione, non desunt et alii duces, qui pro concordia decertant determinanda per concordata: ipseque Auctor eorum ponderosa argumenta refert *pag. 66 et 212*. Si vero antiqua rerum conditio adhuc perseverat, dicendum est ex confessione Auctoris adhuc practicam esse declarationem Episcoporum, scilicet « in praesenti rerum humanarum Statu ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae, animarumque regimine omnino requiri. » — (d) Nisi quod diebus istis apparuit aliud opusculum notissimi Auctoris sub titulo « *Il*

moderno dissidio tra la Chiesa e l'Italia, » in quo singularia nimis hoc sub capite notantur; ita ut ejus eteroclytum argumentandi modum nequeamus praeterire.. Auctor recognoscit in principio hanc declarationem emissam a Pontifice et universo Episcopatu de necessitate domini temporalis S. Sedis in praesenti rerum ordine pro bono et libero regimine Ecclesiae. Et in hoc cum omnibus catholicis convenit; imo hanc doctrinam catholicam sive Ecclesiae declarat *pag.^a 57.^a* Quid est autem quod post haec proponat tria quaesita, seu melius restrictiones, nempe — 1° Quid si Deus nollet Ecclesiam hac libertate gaudere per *octo*, per *octoginta*, vel per *octingentos* annos? *pag. 61*, et *pag. 65*. — 2° Quid si verba definitionis possent intelligi de principatu civili non eo modo constituto, ut erat, quando ablatum fuit, ut dicitur *pag. 61*, sed alio modo, quem Deus servare posset in suis consiliis? — 3° Quid si Ecclesia etiam destituta hoc temporali dominio posset juxta modum alium a divina providentia et sapientia constitutum satis libere, imo *utiliori* ratione vacare sanctificationi et saluti animarum, prout dicitur *pag. 63*? — Atqui tres istae interrogationes, seu restrictiones praedictae declarationi quemcumque valorem tollunt. Et quoad primam, dicendum est eam esse inconcludentem, cum in casu alia sit omnino quaestio. Nos quippe non investigamus quid possit Deus permittere, sed quaenam sint Ecclesiae jura. Permisit Deus ut Ecclesia a sui exordio per tre-

centos annos non solum non recognosceretur a Caesaribus, sed quoque experiretur eorum gladium in capite et in membris, unde sanguine martyrum purpurata resplendet. Sed quid aliud hoc fuit, nisi longa injustitia, contra quam Ecclesia falsis quoque criminibus accusata reclamabat per suos apologistas? Atque id dicatur de omnibus injustitiis, quas Ecclesia ab hominibus passa est incipiendo a persecutione sui Magistri et Institutoris Christi, usque ad sanguinem ultimi justii, qui ab hominibus pro veritate occiditur. Ast haec permissio divina neque minuit jura Ecclesiae, nec improbitatem relevat injustorum. Ecclesia habet jus et potest suam libertatem plenissimam reclamare; et id ab omnibus admittitur etiam qui hostes Ecclesiae sunt; sed ex praecitata auctorabili assertione Pontificis et declaratione Episcoporum constat Ecclesiam non posse consequi hanc plenam libertatem, in praesenti rerum Statu, nisi S. Sedes habeat temporale dominium; ergo hoc dominium ex maxima injustitia et impietate sublatum, ei debet, justitia et pietate exigente, restitui. Nos nunc non loquimur de modo tenendi Ecclesiae durante ista spoliatione brevi vel diuturna secundum divinum beneplacitum; Ecclesia enim determinabit quid agere debeat, et quomodo ejus filii teneantur procedere; et quando nihil Ecclesia determinavit, unusquisque abundabit in sensu suo, rationis ab experientia edoctae praelucente lumine. — Altera pariter restrictio non sustinetur, imo ex parte vi-

detur principalem quaestionem eludere, et pugnare aequivocationibus. Porro quid est dicere *pag. 42* suos adversarios exigere « una restaurazione più » o meno prossima del Potere temporale, qual'era » prima del 20 Settembre 1870? » At non sunt copulandi illi pauci et non acutae mentis catholici, qui restaurationem meditabantur domini temporalis eodem prorsus modo, ac erat ante amissionem, nempe nullis inductis innovationibus seu variationibus, cum illis, qui rationabiliores admittunt mutationes in modo regiminis, quae videntur requisitae a modernis temporum exigentiis. Ast tandem aliquando erit semper potestas suprema et independens, et hoc sufficit. Ut quid proinde excogitare aliam potestatem speciei prorsus ignotae, quam fingere videtur Auctor *pag. 61*, quae potius ad eludendum conceptum declarationis Episcoporum videtur efficta, praesertim cum Episcopi in dicta declaratione tam accurate eam definiverint? Ipsi enimvero in ea subjungunt: « Oportebat sane » totius Ecclesiae Caput, Romanum Pontificem, » nulli Principi esse subjectum, *imo nullius hospitem*, sed in proprio dominio ac regno sedentem, » suimet juris esse, et in nobili, tranquilla et alma » libertate catholicam fidem tueri ac propugnare, » totamque regere ac gubernare christianam Rempublicam. » Nonne illa verba « *imo nullius hospitem* » videntur conterere hanc Auctoris restrictionem? Nisi forte respexerit Auctor ad antiquam ideam, seu propositum *Vicariatus*, quem

super Statibus Ecclesiae volebat sibi assumere tempore Bonifacii VIII Philippus Galliae Rex, quamque propositionem instauravit nostris temporibus Napoleon III Galliae Imperator in opusculo à La Guéronniere anno 1859 inscripto « *Napoleon III et l'Italie* » pro provinciis Aemiliae, reservata Romano Pontifici aliqua pecuniae pensione, et nescio qua suprema potestate *habituali*, alteri tradito super illas provincias vero dominio, et *actuali* suprema potestate tamquam in Vicarium translata. Quod tamen utrique parti et incongruum et inacceptabile visum est. — Majora demum dicenda sunt contra tertiam limitationem. Haec praeprimis, prout ab Auctore proponitur *pag. 62, 63*, est maxime injuriosa Pontifici et Ecclesiae, quos velut obcaecatos terrena utilitate istius dominationis traducit, id unice curantes ut ea restituatur, cum potius quam prodesse ipsa noceat utilitati spirituali missionis Ecclesiae. Sed quod maximum est, juverit hic ad demonstrandam indolem istius limitationis contraponere quae asseruntur a Pontifice et Ecclesia iis, quae ab Auctore exprimuntur. Pontificis et Ecclesiae haec est enunciatio: « civilis principatus S. Sedis agnosendus est ut necessarius, ac providente Deo manifeste institutus, et in praesenti rerum humanarum Statu ipse hic principatus civilis pro bono ac libero Ecclesiae, animarumque regimine omnino requiritur. » Cui contraponuntur duae Auctoris propositiones expressae in *pag. 63*. —

I^a Restauratio civilis principatus S. Sedis a divina Providentia fortasse non fiet, attento quod homines eo possint non recte uti, et quod dependens pro sui conservatione a potestatibus civilibus Ecclesiae infensis, huic potius noceat, quam prosit. — II^a Forte divina Providentia in novis conditionibus, in quas ingreditur humana societas alio potius medio, quam sit civilis principatus, pro sua Ecclesia utetur satis expedito et *magis apto* ad sanctificationem animarum, qui est unicus Ecclesiae finis. En ergo, dum Pontifex cum Ecclesia instat proclamans jura sua super civili hoc principatu, et de eo asserit esse sibi necessarium in praesenti rerum statu pro bono et expedito spirituali regimine, Auctor non solum dubitat de ejus necessitate, iisdem circumstantiis spectatis, sed dubitat, an sit hoc medium potius noxium quam utile, certe non aptissimum ad sanctificationem animarum, qui est unicus Ecclesiae finis. Si saecula intercessissent inter hanc definitionem Ecclesiae et Auctoris animadversiones, et nova conditio societatis humanae intervenisset; tunc profecto non viderentur absonae; sed cum societatis humanae idem perseveret status (*plus enim et minus, ut habet philosophus, non variant speciem*), et hodierna sit Ecclesiae decisio, nemo non videt Auctoris animadversiones licet dubitative expositas esse temerarias, et sensui Ecclesiae oppositas. Et quoniam non nunc primum humana societas in novas ingressa est condiciones, quas Auctor ad-

vertit, sed jam a saeculo id factum sit, dominium istud temporale proinde ab illo aevo juxta Auctoris sensum caepit forte esse Ecclesiae potius noxium quam utile, certe non aptissimum ad sanctificationem animarum. Et tamen Pontifex atque Episcopi anno 1862 illud reputabant medium necessarium in eo rerum statu pro bono et libero Ecclesiae regimine. Imo cum Pontifex in *Encyclicis Litteris diei 19 Januar. 1860* « Se civilem » Romanae Ecclesiae principatum, ejusque temporales possessiones et jura, integra et inviolata » constanter tueri ac servare velle, et paratum » esse, animam potius ponere, quam hanc Dei, » Ecclesiae et justitiae causam deserere diceret; » Episcopi in cit.^a Declaratione acclamantes et plaudentes respondebant, se cum Pontifice ad carcerem et ad mortem ire paratos esse, illumque humiliter rogabant, ut in ea constantia ac firmissimo proposito maneret immobilis, an nos debeamus admittere Auctoris animadversiones, vel potius oracula Ecclesiae revereri, quisque catholicus judicabit. — (e) Ultimo dicitur: exposcere hodie restaurationem domini temporalis Pontificis idem esse, ac attentare destructionem unitatis italicae, antiquum et legitimum potioris ac nobilioris partis Italicorum votum; ad quod obtinendum invocandum esset auxilium exterarum nationum, quod et arduum esset, et quocumque in casu maxime Italis odiosum, qui Ecclesiae evaderent infensi, dum putarent esse oppositionem inter reverentiam Re-

ligioni exhibendam, et amorem patriae. Concluditur proinde, visa re vel prorsus impossibili, vel Religioni maxime adversa, tutius esse hanc non expetitam, sed necessariam conditionem subire, eamque ut factum completum recognoscere. Cui tamen difficultati respondetur imprimis Ecclesiam non recognoscere theoriam *factorum completorum*, neque eis frontem inclinare, quippe quae tantum jus respicit. De caetero hanc difficultatem effugere plenissime possemus, cum nos non agamus de modis, quibus hoc dominium Ecclesia recuperare valeat, sed tantummodo ejus jura defendamus; proinde haec difficultas est pro nobis adiaphora. At si velimus aliquid in hac re promere, dicemus falsum omnino esse, quod restitutio domini S. Sedis importet destructionem unitatis italicae, prout in foliis publicis ab Auctoribus utriusque partis nostris diebus animadversum et retentum est. Et pro hoc scopo assequendo non est necesse externum invocare auxilium, cum Itali satis suis rebus consulerent, si vellent et Religionis et patriae suae emolumentis prospicere. Ad creandam proinde aemulationem videtur omnino hoc propositum argumentum, quod de caetero nullam vim habet. Maximo gaudio legimus in publicis foliis Auctorem *die 29 Aprilis 1878* retractasse quidquid minus recte de dominio temporali S. Sedis in eo opusculo docuisset.

16.° Hisce praemissis ad exponendum titulum praesentem accedimus. Beneficium, de quo sub no-

Definitio officii
mine praebendae et dignitatis in hoc titulo sermo est, communiter definitur: « jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis ecclesiasticis competens » Clerico propter officium sacrum auctoritate Ecclesiae constitutum. — Hanc Canonistarum definitionem *blandam nimis* Berardus traducit *Commentar. in jus ecclesiast. univers. tom. 1° De Beneficiis Dissert. 1° cap. 1°*, cum beneficia non tam in jure Clericis competente consistent, quam in onere gravissimo, quod beneficiatis imminet faciendi satis officio, quod semper beneficiis inest; unde ipse definit beneficium: « militia quaedam » ecclesiastica, cujus onere suscepto Clericus certis » ecclesiasticis officiis adstringatur, cujus jure » quaesito ecclesiastica stipendia mereat. » Verum Berardum cum suis asseclis in hac re esse deceptum facile convinci potest. Siquidem definitio tradita non omittit illud officium sacrum, de quo ipse sermonem habet. Ex alia vero parte natura beneficii de se temporalis est, prout ipsum nomen et origo demonstrant *lib. 1° feudor. tit. 1°* ab eodem Berardo citato, et solummodo officium sacrum illud est, quod beneficium facit spirituale. Hinc est quod in veteribus commentatoribus juris prima partitio beneficiorum est, ut aliud sit beneficium imperiale, aliud ecclesiasticum, prout ejus indoles est mere civilis aut feudalis, vel potius ex imperio translatum est hoc nomen ad Ecclesiam. Utraque opinio proinde eadem in definitione admittit elementa duo, nempe — 1° jus perpetuum

percipiendi redditus: — 2° officium sacrum; differentia autem in hoc est, quod nostra definitio directe loquatur de jure perpetuo percipiendi redditus, et indirecte de muneribus obeundis, cum alia de istis muneribus primo loquatur, et copulet secundo loco stipendia. At si juxta locutionem canonum, et rei conceptum procedere velimus, nostra definitio eis est omnino conformis, et origini beneficiorum, unde habet veritatem historicam, et canonicis locutionibus maxime cohaeret, juxta *cap. final. de Rescriptis in VI°*, in quo dicitur: « beneficium datur propter officium. » Hinc est quod Canonistae, teste Schmalzgrueber *h. t.° num.° 3*, dicant merito solum jus percipiendi redditus « constituere *formaliter* beneficium, non » *prius officium, quippe quod est fundamentum » illius et causa. »*

17.° Enucleando autem supra dictam definitionem advertimus — (a) dici beneficium *jus*, et hoc sive consideretur ratione officii, quod est spirituale, sive consideretur ratione reddituum, qui beneficiato competunt, ad quos redditus percipiendos datur potestas. Hoc autem jus appellatur *perpetuum*. Est autem haec perpetuitas duplex, una *essentialis*, altera *ratione beneficiati*, vel melius alia *objectiva*, alia *subjectiva*. *Essentialis* vel *objectiva perpetuitas* ea est, qua beneficium semel constitutum semper permaneat, et licet ab uno deperdatur, vel is cesset eo frui, non disparet tamen, sed perseverat alteri conferendum. Dicitur

haec *ingenita* perpetuitas a Berardo, qui *oper. et loc. cit.*° sic loquitur: « Tria sunt beneficiorum » genera; prima antiquissima, quae, dissociata in- » ter Clericos vitae communi, erecta sunt au- » toritate Episcoporum ad distinguenda officia, » et singulis administris singularia bona adsi- » gnanda; altera recentiora sunt, aut ad similitu- » dinem praecedentium erecta ab Episcopis, aut » ad liberam Episcoporum dispositionem post ere- » ctionem devoluta, ex largitatibus, quae Ecclesiae » post factam inter Clericos bonorum divisionem » acceperunt; postrema sunt, quae petentibus fun- » datoribus erecta fuerunt, reservato jure patrona- » tus; in omnibus autem perpetuitas facile de- » prehenditur ex erigentium voluntate. Perpetua » sunt beneficia primi generis; cum enim Clerici » a communi vita recesserunt, et praestituto Ec- » clesiae servientium numero discreta fuerunt mu- » nera, et singula in singulos distributa pecunia » pro qualitate officii, et gradus, ea ratione, ut » unusquisque suo contentus, alienis nunquam » inhiaret, eodem jure, quo perpetuitati utilitatis » Ecclesiae studuerunt Antistites, in perpetuitatem » quoque beneficiorum intenderunt, *cap. 12, de* » *constit. cap. 5 de praebend. et dignit.* Perpetua » sunt beneficia secundi generis, propterea quod » cum haec instar priorum erecta fuerint, priorum » eorumdem naturam, atque indolem sortiuntur. » Perpetua sunt beneficia tertii generis, non solum » ex eo, quod ad ceterorum similitudinem erecta

» fuerint, sed etiam quod fundatores bona, quae » contulerunt, et officium sacrum, quod implendum » mandarunt, perpetuo perdurare voluerint, et » Episcopus foundationem acceptam ratam hanc » fundatorum voluntatem habuerit. Quidquod enim » statutum est, ut de bonis beneficii fundatoribus » indigentibus ab Ecclesia succurratur, *can. 29* » *et 30, cau. 16 qu. 7*, nisi ecclesiasticis viris » prohiberetur, ne beneficia extinguerent? Quid- » quod statutum est, ne fundatores, eove minus » a fundatoribus causam habentes, Clericos a rebus » donatis expellerent, nisi fundatoribus, ceteri- » sque ab iis causam habentibus praeciperetur, ut » quod constituerunt, revocare non possent? *can.* » *29, cau. 16, qu. 7 cap. 4, de jurepatron.* » Exceptio est in praebendis, vel Canonicatibus Ec- » clesiae *non-numeratae*, vel *receptitiae*, *argum. cap.* » *25 de praebend., cap. 9 de constit., et cap. ult.°* » *de concess. praebend. in VI.°* « Cum enim in istis » Ecclesiis, ut subjungit ibi Berardus, tot reci- » piantur Clerici quot ali possunt juxta adauctas, » vel imminutas obventiones ex prudenti Episcopi » vel Capituli arbitrio, censentur beneficia *non-* » *universa quidem, sed singula* adeo personae Cle- » rici adhaerentia, ut cum ipsa beneficiarii persona » quodammodo intereant; unde mortuo Clerico be- » neficiario non proprie vacare, sed cessare bene- » ficium dicitur. » Ex quo patet, quam falsa sit » assertio proposita a Minghetti *op. cit. pag. 118:* » « Una condizione del beneficio è la esistenza di

» un patrono, il quale è il fondatore, o un discendente di esso, e a lui spetta la nomina o presentazione del rispettivo titolare. » Quod ex relatis, inquam, est falsum, cum non competat jus patronatus, nisi in beneficiis tertii generis, et sit ex Ecclesiae speciali concessione praescindente omnino a natura beneficiorum. — Perpetuitas alia est ratione beneficiati vel subjectiva, quae importat, ut beneficium detur ad vitam beneficiati. Revera hic modus est consuetus conferendi ecclesiastica beneficia, ut pluribus tradit Pyrrhus Corradus *Praxis beneficiar. lib. 1° cap. 6° num.° 261 et seqq.*; et Fagnanus *cap. Quanto num.° 5° et 6° De Translatione Episcoporum*; et ita conferenda sunt ecclesiastica beneficia a collatoribus ordinariis. Unus Romanus Pontifex est, qui ex plenissima administratione bonorum Ecclesiae valet ad tempus concedere beneficia, prout habetur ex *cap. 2° h. t.° in VI° et Clementin. I° § fin. Ut lite pendente etc.* Quid ergo dicendum est de beneficiis manualibus? Haec profecto ea sunt, quae conferuntur in titulum, sed revocabiliter, nempe ad conferentis libitum auferri, vel a patrono revocari possunt. Quoniam autem haec beneficia etsi manualia, habent perpetuitatem objectivam, sunt vera beneficia; sed quia eis deest perpetuitas subjectiva, investitus non reputatur ut verus beneficiatus, nisi in favorabilibus, prout probant Doctores apud Reiffenstuel *h. t.° num.° 52 et seqq.* — (b) Redditi autem sunt *ex re ecclesiastica*; seu ex bonis Ecclesiae,

nempe ex bonis Deo dicatis et Ecclesiae donatis. Quae donationes sunt prorsus irrevocabiles, adeo ut nec dominium, nec a fortiori libera eorum bonorum dispositio apud fundatorem seu donatorem existat, ut communiter cum Canonistis ostendit Berardus *op. et part. cit.° cap. III.°* Fundatori enim super his bonis nullum aliud jus competit, nisi exactio census, si qui in principio appositus est, nec valet in progressu augeri, prout in sequentibus exponetur, et jus praesentandi Clericum. Hinc maxime detrahens Ecclesiae, et patronis nimis indulgens est lex lata a potestate italica sub *die 15 Augusti 1867*, qua dotatio beneficiorum juris patronatus conceditur patronis in recognitionem suorum jurium, soluta Gubernio summa viginti quatuor, vel triginta pro quolibet centenariis. Abstulit enim haec lex injuste patrimonium Ecclesiae, et partem non modicam donavit patronis, qui nullum habebant in iis bonis proprie dictum jus. — Haec vero bona possunt esse immobilia, mobilia, puta numerata pecunia, census, et quoque jura quaecumque, sive assignationes ab uno vel ab altero debitae, etiam a personis moralibus et Guberniis, cum in iis exigendis Ecclesia habeat incontroversum jus. Dotem beneficiorum constitutam esse non solum in bonis immobilibus, sed et in mobilibus, numerata pecunia, censibus et in assignationibus seu redditibus certis antiqua methodus et praxis est, licet non diffiteamur plerumque esse beneficiorum dotem in bonis immo-

ad tempus et ad perpetuum hinc Clericus dicitur

bilibus. Quae omnia sunt bona ecclesiastica, quia talia bona vel immobilia, vel mobilia, vel jura pertinent semper ad patrimonium Ecclesiae, quamvis a piis personis donata. Ex quo duo consectaria eruuntur, nempe *primo* facile resolvi quaestionem: an hodie in Gallia aliisque regionibus, in quibus antiquae possessioni Ecclesiae successit pro Canonicatibus, et Parochiis assignatio facta a Gubernio censeantur adhuc subsistere haec beneficia? Subsistunt etenim, et una dotatio alteri substituta est, atque successit. Et in hoc porro sensu pluries requisita S. Poenitentiaria rescripsit praesertim in sequenti responso ab Auctoribus communiter relato: « Die 19 Januarii 1819 a S. Poenitentiaria » quaesitum fuit an salaria, quae in Belgio solvuntur Pastoribus et Canonicis, induant naturam » beneficiorum, seu bonorum ecclesiasticorum, et » adnexam habeant obligationem expendendi sumptus » perflua pauperibus seu piis causis, et residendi » sub poena non faciendi fructus suos? S. Poenitentiaria rescripsit jam alias a S. Sede rescriptum fuisse affirmative. » — Alterum consectarium est, falsum omnino esse, quod asserit Minghetti *op. cit. pag. 118*, beneficia disparuisse in Gallia, in Belgio, in Hispania et Lusitania, perseverare vero adhuc in aliis regionibus catholicis Germaniae, in Austria, Ungaria, Helvetia et Italia; nisi forte intelligat in illis Statibus dari has retributiones propter labores, qui impenduntur, ita ut istae dotationes non sint jura Ecclesiae,

quae a Statu debent conservari tamquam patrimonium ejusdem, et non habeantur tamquam restitutio in minima parte eorum bonorum, quae Ecclesia antiquitus possidebat distributa in totidem beneficia; quod tamen falsum est. — (c) Beneficium porro confertur Clerico saltem prima tonsura initiato, et collatio facta laico, nisi ex pontificia dispensatione, est ipso jure nulla et invalida, cum sit laicus incapax cujuscumque juris spiritualis ex *cap. 7° de praescription.* et *cap. 2° de institut.* — (d) Datur autem propter aliquod officium sacrum saltem recitandi quotidie horas canonicas; nam si exhibentur redditus ecclesiastici propter ministerium mere temporale, nempe cantoris, aeditui, alteriusque laboris laicalis, beneficium non est, quia deest haec spiritualis causa ex jam cit.° *cap. fin. de Rescriptis in VI.°* — (e) Debet esse fundatum seu constitutum ab Auctoritate ecclesiastica, et conferri ab ecclesiastica persona. Quod pertinet ad foundationem ab Auctoritate ecclesiastica faciendam, statim intelligitur eam esse necessariam ad conceptum beneficii, tum ex eo quod nullus privatus sine Episcopi vel alterius Praelati hanc potestatem habentis auctoritate potest locum sacrum, vel munus spirituale constituere *arg. cap. 4 de religios. domib.,* et notant Auctores apud Gonzalez *ad regul. 8 Cancellar. gloss. 5^a num.° 7°*; tum ex eo, quod jus positivum id expresse edicat ex consensu Doctorum *juxta Glossam in Clementin. II^a v. si beneficium*

in fn. de Decimis, prout fuse tradit Phyrus Conradus *op. cit.° lib. I° cap. 2° num.° 1° et seqq.* Atque hoc adeo verum est, ut juxta notata a Schmalzgrueber *h. t.° num.° 5°* « tametsi aliquis » sive laicus sive Clericus privatus certas missas, » vel anniversarium etiam in perpetuum fundaverit, eique stabiles assignaverit redditus, nisi » tamen Episcopi, vel alterius Ordinarii Auctoritas » intercedat, ea fundatio non beneficium ecclesiasticum, sed pia solummodo donatio, aut legatum » erit, nec beneficii nomine comprehendetur, quoties in jure, vel litteris papalibus de beneficio » mentio fit; » ex Van-Espen *jur. eccles. part. 2^a tit.° 18° cap. 1° num.° 22*, Engel *hic num. 1° vers. dic. 4°*, aliisque. ---Confertur demum a persona ecclesiastica, puta a Papa, vel Episcopo, vel alio Praelato ecclesiastico, aut Clerico, numquam a laico, etsi hic possit habere jus patronatus et nominare ex *cap. 3° de institut.*, aliisque textibus. Haec omnia adeo necessaria sunt, ut, quemadmodum advertit Reiffenstuel *hic num.° 18*, si unum praemissorum requisitorum deficiat, beneficium ecclesiasticum dici non possit; nam haec omnia sunt substantialia in beneficio, prout docet Phyrus Conradus *loc. cit.°*, aliique. At si haec omnia habeantur, non est curandum quo nomine beneficium appelletur, sive dicatur beneficium, vel officium, vel praestimonium, quia non est vis in nomine, sed potius debet attendi natura rei. Et de his veris beneficiis agit praesens titulus, quam-

vis inscribatur *de praebendis et dignitatibus*. — Praebendae porro nomen multipliciter in jure assumitur; nam aliquando praebenda assumitur prout est separata a jure spirituali, et tunc consistit in mera temporalitate fructuum, qui debentur beneficiato, juxta quem sensum in *tit.° VIII hujus libri* dicitur: « qui habet Canoniam, debet habere et praebendam »: nonnumquam praebenda contradistinguitur a distributionibus, et venit sub nomine *fructuum majorum*, prout dicitur *tit. IV* Canonicum ex indulto absentem lucrari praebendam, non autem distributiones: demum accipitur, prout in hoc titulo, pro beneficio inferiore, ut distinguatur a dignitatibus tamquam ens *minus-nobile a nobiliori*.

18.° Ex his, quae exposuimus, facile resolvitur quaestio; an scilicet *Canoniam, Vicariatum, Capellaniam, Commendam, praestimonium* et *pensio* sint vera beneficia? — *Canoniam* profecto est « jus spirituale, quod provenit ex electione, vel receptione alicujus in Fratrem vel Canonicum; » cujus habemus exemplum in *cap. 9 h. t.°* Canoniam cum per se non includat ullam participationem fructuum, ut fusius dicemus in dicto *titulo VIII* non est verum beneficium. — *Vicariatum* vel *Vicaria*, ut ipsum nomen indicat non est de se beneficium, nam non habetur titulus beneficii in Vicario, sed iste vices gerit beneficiati: at quoad ejus conditionem distinguendum est inter Vicarium temporaneum et perpetuum. Vicarius perpetuus si non habet titulum beneficii, tamen habet *titulum, seu jus in beneficio* ex *cap.*

27° de Rescript. et ex *extravag. Clementin.ª unic.ª de officio Vicarii*: Vicariatus autem temporaneus nec habet perpetuitatem objectivam, nec subjectivam.— *Capellania* si sit fundata auctoritate Episcopi ex dictis est beneficium; at Capellanus si est ad nutum amovibilis non recensetur inter beneficiatos propter defectum perpetuitatis subjectivae.— *Commenda*, ut notat Berardi *op. et part. cit. Dissertat. 2ª Observatione IIIª* definiri valet: « de-
 » positum rerum ecclesiasticarum vel monastica-
 » rum, ubi istae aut ordinariis ministris desti-
 » tuantur, aut publice interest, ne ab iisdem or-
 » dinariis ministris dirigantur aut curentur. »
 Antiquitus porro Commendae institutae sunt pro utilitate beneficii exclusive, prout ipsa definitio indicat; est enim depositum. Et sub hoc respectu considerata Commenda non est beneficium, tum quia Commendatarius nullam persentit ex beneficio commendato utilitatem, sed tantum onus, deputatis redditibus in emolumentum ejusdem beneficii; tum quia onera ab aliis explentur. Hinc receptum est, ut ait Berardi *loc. cit.º* Commendatarios ne in minima quidem parte, ne praemii quidem aut laboris praetextu, posse jure ordinario fructus facere suos; id enim postulabat natura depositi et custodiae, quae commendis inerat. Hinc pariter est quod nulla lex ecclesiastica impediabat aliquem habere plura beneficia commendata, neque enim in hoc erat *incompatibilitas*; sicut nulla lex ecclesiastica vetabat, quod tales Commendae concede-

rentur quoque laicis praesertim patronis, licet fatendum sit saeculis recentioribus receptum esse, ut Ecclesiae et Monasteria Clericis tantum, vel religiosiis viris commendarentur. Imo beneficia commendabantur personis nobilitate praeclaris, quo validius bona vacantia tuerentur, et personis divitibus, quo tutius quidquid ex bonis Ecclesiae redigeretur, totum in Ecclesiae ejusdem utilitatem converteretur. Ex quo praeterea eruitur Commendarum istarum eam fuisse indolem, ut essent, temporaneae, nempe usque dum beneficii primae-
 » status, reparatis damnis instauraretur. At deinde alia Commendarum species intervenit. Cum enim istae Commendae fierent favore personarum, constitutum est in *cap. 15 de elect. in VIº*, ut Commenda non fieret nisi personis idoneis, non daretur nisi *una* cuique, et demum ut sex menses non excederet; quod si secus factum esset, Commenda ipso jure irrita esset. Supervenere in hac parte constitutiones Concilii Tridentini *sess. 7ª cap. 4º* et *sess. 24 cap. 17º*, quibus cavetur, ut qui beneficium unum obtinisset, ad vitae sustentationem sufficiens, alterum simul praesertim parochiale non obtineret, ne sub specioso quidem Commendae praetextu; plura deinde statuit Concilium Tridentinum de monasteriis commendatis *sess. 25 cap. 21 de regularibus*. Queis animadversis concluditur, quod Commendae hoc ultimo sensu acceptae, si sint ad vitam concessae, sunt vere beneficia, seu melius commendatarii habentur ut

veri beneficiati. Si autem Commenda perpetua est, quia non expedit amplius conferri titulum, qui in hoc casu dicitur quiescere, et bona Ecclesiae sub titulo Commendae perpetuo conceduntur; tunc illae Commendae sunt vera beneficia. — Vix est quod hic loquamur de Commendis, quae a privatis erectae sunt causa religionis militaris profitendae, retento a fundatoribus jure patronatus favore aliquorum, vel quae ex largitione S. Sedis donatae sunt ordinibus militaribus ex beneficiis simplicibus subjectis juri-patronatus; primae enim Commendae sunt velut fideicommissa, quae extinctis personis a fundatore vocatis recensentur inter bona propria militiae; alia vero computantur inter emolumenta ordinis ad dispositionem et collationem Magistri ordinis, unde habentur inter beneficia manualia, de quibus plura vide apud Berardi *loc. cit.*°, aliosque Auctores. — *Praestimonium* communiter definitur, quod sit « stipendium quod ab Ecclesiae redditibus abstractum dari solet Canonicis, aut Clericis in vitae subsidium. » Porro si haec assignatio sit temporanea, id est favore personae, quantumcumque sit ad vitam ejusdem, non est beneficium; deficit enim *perpetuitas objectiva*, quamvis si est ad vitam Clerici, hic aequiparetur beneficiatis, et habeat onus recitandi saltem horas canonicas. At si haec assignatio sit perpetua, nempe, ut obitu ejus, qui accepit, vacet, prout in Hispaniis dari talia praestimonia testis fuit Fagnanus in *cap. ad Audientiam num. 62 de Re-*

script., tunc praestimonium est verum beneficium; et sub hoc respectu videtur assumptum hoc nomen in *cap. ult.° de concess. praeter. in VI.°* — *Pensio* demum est « certa portio fructuum ex aliquo beneficio, vel mensa ex causa ad tempus, non vero in perpetuum separata. » Haec profecto ex ipsa definitione nomen beneficii non meretur, cum deductio fructuum sit ex alieno beneficio, carentia proinde habetur tituli et perpetuitatis objectivae. At pensionatus in favorabilibus aequiparatur beneficiato, prout pluribus probat Fagnanus in *cap. ad Audientiam 2° de Rescript. num. 131 et seqq.* citatus a Reiffenstuel hic, *num.° 97.*

19.° Divisiones porro plures sunt beneficiorum, quarum praecipuas et maxime practicas referemus. Beneficia sunt — 1° *saecularia* et *regularia*. *Saecularia* sunt, quae Clericis nullam aliqujus ordinis regulam professis conferri debent, et solent; *regularia* vero, quae religiosis tantum conferri debent, et solent ex *cap. 5° et cap. 32 h. t.° in VI.°* Ipsa indoles beneficii aliquando dignoscere facit, ea esse regularia, ut abbatiae, prioratus, canonicatus regulares etc.; nam quomodo concipi potest abbatia sine Monachis Abbati subjectis, prioratus sine regularibus Priori subditis, vel canonicatus regularis sine communitate Canonicorum regularium? Et ea beneficia sunt ex sui natura regularia. Relate vero ad alia beneficia, haec sive ex aliquo facto puta concessione, vel unione, aut consuetudine et praescriptione possunt esse regu-

laria, prout antiquitus nonnulli Episcopatus, et hodie quoque sunt nonnullae paraeciae vel in monasteriis existentes, aut illis pleno jure unitae. Istitis beneficiis applicantur illa duo principia a Doctoribus apud Schmalzgrueber *h. t.º num. 14* statuta: — 1º In dubio censetur beneficium esse potius saeculare, quam regulare, et hinc — 2º Qui asserit beneficium aliquod esse regulare, in dubio illud probare debet. — Quae duo principia aptari non possunt beneficiis de sui natura regularibus. Canonica autem regula est beneficia saecularia Clericis saecularibus, et regularia regularibus esse conferenda, nisi aliter Papae placuerit. Olim quoad regulares duae erant exceptiones, nempe eos posse promoveri ad dignitatem episcopalem sive in saeculari, sive in regulari Ecclesia ex *cap. 28 de elect. in VIº et extrav. Clement. 1ª eod. tit.º*, et posse eos praefici parochiis saecularibus ex *can. 31 et 34 caus. 16 quaest. 1ª*, exclusis aliis quibuscumque beneficiis saecularibus ex *cap. 9 de regular.* At hodie prima exceptio durat quoad Ecclesias Cathedrales, non autem altera ex *extrav. unic. de postulat. intr. comm.* et ex Decreto S. Congreg. Episcop. et Regul. diei 17 Mart. 1671 apud Monacel. *Append. decis. S. Rot. decis. 27.* — 2º Beneficia sunt *simplicia* et *duplicia*. Simplex beneficium est, quod habet unam obligationem omnibus beneficiatis communem, quae hodie recitatio est horarum canonicarum absque ulla jurisdictione, administratione et praeeminentia. Hinc

hodie beneficia simplicia generaliter loquendo dicuntur etiam *non-residentialia*. — Duplex beneficium est, quod praeter obligationem, seu officium sacrum omnibus beneficiatis commune, consequitur quoque vel jurisdictionem, vel administrationem, aut saltem praeeminentiam. — Inter beneficia duplicia emicant *dignitates*, quae sunt vel *maiores* vel *minores*. *Majores* proprium habent nomen, ut Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatia, Patriarchatus, Cardinalatus et super omnes Pontificatus. *Minores* sunt Archidiaconatus etc. Nomine autem Dignitatum generaliter assumpto in Rescriptis Apostolicis veniunt Dignitates minores. Reliqua beneficia duplicia sunt, quae vel jurisdictionem parochialem habent adnexam, vel administrationem, vel saltem praeeminentiam secumferunt. De canonicatibus disputatur an computari debeant inter beneficia simplicia vel duplicia? Et puto posse accenseri inter beneficia duplicia, cum exigant assiduitatem personarum, et aliquam praeeminentiam importent saltem quoad reliquum Clerum. Quin imo canonicatus Ecclesiae cathedralis accedunt ad dignitates propter dispositionem *cap. XI de Rescript. in VIº*, qua in executione Rescriptorum Apostolicorum comparantur cum Dignitatibus. — 3º Beneficia alia sunt *electiva*, alia *collativa*, alia *patronata*, prout habentur per suffragia Capitularium, accedente Praelati vel superioris ecclesiastici confirmatione aut admissione; sive conceduntur a Praelato, seu alio collatore (et

potest esse quoque persona moralis puta Capitulum per suffragia), quin praecedat praesentatio alterius; aut demum acquiruntur per institutionem Praelati praevia patronorum nominatione. — 4° Beneficia sunt vel *perpetua* vel *manualia*, prout revocabiliter, vel irrevocabiliter conceduntur. Porro beneficia regularia, nisi per electionem acquirantur, censenda sunt manualia ratione voti obedientiae, et proinde ad superioris nutum revocabilia; quod non est in electivis, quae a Capitulo dantur. Contra beneficia saecularia censenda sunt non-manualia, quia ex *can. 12 Distinct. 55, can. 7 Distinct. 56 et can. fin. Distinct. 70*, perpetua est concessio beneficiorum, ut semel legitime collatum beneficium nisi ex justa et in jure expressa causa nequeat auferri, et post regularem processum. A quo modo concessionis recedere nefas est, nisi revocabilitas fuerit statuta ex *fundatoris ordinatione* ab Ordinario probata, vel ex *privilegio Pontificis* beneficium indoles mutata sit, aut ex *consuetudine immemoriali*. — 5° Beneficia sunt *patrimonialia*, vel *non-patrimonialia*; prout aliquis ad illud beneficium obtinendum habet praelationem ratione familiae, patriae, parochiae, civitatis etc. si est idoneus, quod tamen probari debet, vel potius hanc ex dicta ratione praelationem non habet, sed unicuique idoneo potest concedi. Demum — 6° Beneficia alia sunt *compatibilia*, alia *non-compatibilia*, prout simul retineri ab eadem persona juxta canones valent, aut non.

Alia beneficia sunt per contractum in beneficium etc. Conferri debent personae de iure, prout in iure facta sunt vel inspectari debent personae - - -

20.° Sequitur sermo de modis, quibus beneficia acquiruntur. Isti sunt, prout alias dictum est, plures, nempe electio confirmata cum subsidiaria postulatione admissa, collatio et institutio. Et quoniam de electione et postulatione actum est *libro I° titulis V et VI*, et de institutione agitur *tit. VII hujus libri*; hinc nunc tantum de collatione loquemur. — Collatio communiter definitur: « assignatio libera seu concessio beneficium vacantis facta legitime Clerico idoneo ab ecclesiastica persona habente potestatem. » Libera porro dicitur haec concessio, ut collatio distinguatur ab institutione, quae est hypothetice necessaria, posita nempe praesentati idoneitate. Subjungitur quod sit facta legitime; sunt enim nonnullae regulae a collatoribus Papa inferioribus observandae. Additur quod fiat Clerico idoneo, namque beneficia obtinere nequeunt nisi Clerici, atque isti debent esse idonei juxta ea, quae fuerunt exposita *tit. XIV libri I*. Concluditur quod collator sit persona ecclesiastica, cum laici nequeant hoc jus nancisci neque in vim consuetudinis, aut praescriptionis, *argum. cap. 51 de elect. et cap. 5 de jur. patronat.*, sed solum id consequi valent ex pontificio privilegio. — Plures porro sunt personae ecclesiasticae, quae habent potestatem conferendi beneficia, de quibus singillatim agendum est. Potestas haec, eaque amplissima respectu omnium Ecclesiarum et beneficiorum totius orbis competit Summo Romano Pontifici ratione primatus, ut ex *cap.*

De modis acq. b. -

1° Electio confirmata

2° Institutio

3° Collatio

1° 2° 3° 4° 5° 6° 7° 8° 9° 10° 11° 12° 13° 14° 15° 16° 17° 18° 19° 20° 21° 22° 23° 24° 25° 26° 27° 28° 29° 30° 31° 32° 33° 34° 35° 36° 37° 38° 39° 40° 41° 42° 43° 44° 45° 46° 47° 48° 49° 50° 51° 52° 53° 54° 55° 56° 57° 58° 59° 60° 61° 62° 63° 64° 65° 66° 67° 68° 69° 70° 71° 72° 73° 74° 75° 76° 77° 78° 79° 80° 81° 82° 83° 84° 85° 86° 87° 88° 89° 90° 91° 92° 93° 94° 95° 96° 97° 98° 99° 100°

2° h. t.° in VI.° Solet autem Pontifex uti hac potestate quatuor modis, nempe *praeveniēdo, concurrēdo, supplēdo, vel reservādo*; quae exponenda sunt. Utitur Pontifex *jure praeventionis* in collatione beneficiorum, quando de iis disponit antequam vacent, dando alicui Clerico sive *litteras expectativas* seu *mandatum de providendo*, vel aliquem constituendo coadjutorem cum *jure, vel spe successionis*. Cumque debeamus nos tractare de istis Coadjutoribus *tit. VI hujus libri*; hic tantum de *expectativis, et mandatis de providendo* pauca disseremus. — Litterae expectativae, vel mandata de providendo erant Rescripta Pontificis, quibus ordinabatur, ut designato Clerico conferretur primum beneficium proxime vacaturum in determinata Ecclesia, et hoc mandatum dirigebatur ad determinatam personam, puta Episcopum. Litterae istae, vel mandata coeperunt expediri, ut notant Doctores, ab Alexandro III, et Decretalis ab eo Pontifice scripta Episcopo Tornacensi relata in *cap. 7° de Rescriptis* dicitur esse primus textus, qui occurrit in Jure Pontificio, in quo mentio fit de expectativis, et mandatis hujusmodi. Exemplum hoc secuti sunt Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, aliique Pontifices. Et quod id valerent summo jure praestare nemo est qui denegare valeat ex supradicta ratione supremae auctoritatis in administrationes rerum ecclesiasticarum; cui accessit et aliud motivum, ut nempe redderent Clericos magis Romanae Sedi obsequen-

praeveniēdo - *q. d. = coadjutoribus t. VI h. l.*
que h. l. expellit - { Speciatim de q. d. Carolus. Tabis ecc.
q. d. = h. l. l. l.

tes et addictos. Verum experientia ostendit hunc modum providendi de beneficiis, pluribus dare occasionem abusibus; namque praeter votum captandae mortis, quod istae *expectativae* inducebant; inferebatur gravissimum praejudicium ordinariis collatoribus et Praelatis ecclesiasticis, cum, postpositis dignioribus, minus dignis beneficia conferrentur, qui plerumque per importunitatem extorquebant hujusmodi expectativas; et deinde praebebatur occasio indigno commercio, quo istae litterae venderentur, scilicet earum utilitati renuntiaretur, receptâ determinatâ pecuniae summâ. Ex quibus rationibus factum est, ut Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 19 de reform.* haec mandata atque alias quascumque gratias ad vacatura beneficia concessas abrogaverit, et in futurum prohibuerit concedi etiam S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus; quod deinde confirmavit Pius V Constit. « *Sacrosanctum* » *diei 9 Septembris 1568.* Advertit autem optime hic Giraldi « *Expositio Juris Pontificii* » *part. 1^a sect. 417* per hoc decretum Concilii Tridentini non ita manus Pontificis ligari, quin ex gravi causa expectativam concedere ipse possit, cum ejus auctoritatem idem Concilium *cap. 21 sess. 25 de reform.* in omnibus salvam esse voluerit; verum tamen esse, post Concilium Tridentinum Pontifices nulli amplius expectativas concedere solere. Et revera haec nostra aetate vix unum aliudve rarissimum exemplum adinvenimus, quamvis valde usitatus sit mo-

dus praeveniendi per concessionem coadjutoris cum futura successione. — Alter modus, quo Pontifex solet beneficia conferre, est per *concursum*. Sicut enim in jurisdictione, ita in conferendis beneficiis quibuscumque Pontifex cum Episcopis et cunctis inferioribus collatoribus concurrere valet; quamvis, ut notat *Leuren. For. benefie. part. 2^a sect. 3^a cap. 2^o quaest. 514*, Pontifex potestate ista raro utatur, et non nisi ex magna causa. In casu autem concursus inter diversos Clericos provisus quis praeferendus sit, est locus praeventioni juxta *regulam 54 juris in VI^o*, ut ille obtineat qui prior provisus est: quod si de prioritare provisionis non constet, tunc alia regula applicatur, nempe *reg. 65 jur. in VI^o de praelatione possessoris*; et demum si nemo possideat, ceteris paribus ille praefertur, cui Pontifex concessit ex *cap. 31 h. t. in VI^o propter onorem Sedis Apostolicae*. — De tertio modo *devolutionis* ad supplendam negligentiam Praelatorum actum est *tit. X libri primi*. — Quartus demum modus conferendi beneficia, quo utitur Romanus Pontifex est ex jure *reservationis*. Reservatio communiter definitur in casu: « Ecclesiastici beneficii vacaturi, cujus provisio ad inferiorem collatorem spectat, per Romanum Pontificem ad se facta avocatio. » Hanc quoque facultatem, sed cum multis limitationibus spectare ad Legatum a latere edocet *cap. 3 § 1^o De officio Legati in VI^o* Usum istarum reservationum esse antiquissimum pluribus probat Zaccaria in *Anti-*

febronio p. 2^a l. 5^o cap. 6^o t. 4^o, et hujus inducendi sequentes rationes redduntur ab Auctoribus: — 1^o ut constaret Pontificem habere omnium beneficiorum liberam dispositionem ex *cap. 14 vers. Nos igitur h. t. in VI^o*, ex *cap. 2^o h. t. in VI^o*, et *Clement. 1^a in fin. Ut lite pendente*: — 2^o ut Pontifex haberet unde remuneraretur Clericos S. Sedi obsequentes ex *Gloss. v. reservamus extrav. unic. Joann. XXII h. t.*: — 3^o ut cum Romana Ecclesia major esset communicatio ex liberalitate, quam haec posset exercere ex *can. 21 caus. 9^a quaest. 3^a*: — 4^o ut vitarentur incommoda ex turbis, quae oriri poterant in provisione praesertim potiorum dignitatum. — Istae porro reservationes multiples factae sunt, et Ferraris in *Bibliotheca v. Beneficium art. VIII^o Editionis Casinensis* enumerat *viginti sex* species beneficiorum reservatorum. Quae reservationes factae sunt sive per Pontificias Constitutiones, sive per Regulas Cancellariae. Multum vero interest attendere quo modo inductae sint reservationes, cum Constitutiones Pontificiae sint perpetuae, Regulae autem Cancellariae morte Pontificis cessent, nec reviviscant nisi per Successoris subscriptionem. Plura hic a Doctoribus disseruntur, ut dignoscatur quando beneficium sit necne reservatum, attento tenore Constitutionum Apostolicarum, vel Regularum Cancellariae Apostolicae; atque ea pro casu emergente apud commendatos Doctores videri possunt. Advertendum tamen est, hodie ex pactionibus con-

cordatis a S. Sede cum pluribus civilibus Guberniis aliter circa materiam beneficalem conventum esse, et derogationes plures advenisse juri communi, ita ut potius ad tenorem uniuscujusque Concordati sit respiciendum, quam ad notatas regulas generales, quae ut plurimum est derogatum. — Affinis reservationi est *affectio*, quamvis aliquantum diversa, prout ex definitione clarum fit. Affectio est « quaedam tacita reservatio facta per appositionem manus Papae super dispositione alicujus beneficii, ratione cujus impeditur ordinarius collator, ne pro ea vice tale beneficium conferre possit. » Inducitur proinde *affectio facto*, cum reservatio veniat ex *decreto*: affectio ordinarii collatoris potestatem pro ea tantum vice cohibet; reservatio habet quoque tractum successivum, nempe usque dum durat lex reservationis. Doctores recensent modos, quibus beneficia redduntur affecta. Haec autem appositio manus Pontificis, ut effectum operetur impediendi pro ea vice provisionem ordinarii collatoris, debet Pontifex procedere *sciens et prudens*, non autem *ex falsa causa*, puta si Pontifici dictum sit hoc beneficium esse reservatum, et ideo manus apposuit ad illud conferendum, ut tenuit Rota *part. 2^a Decis. 187 num. 5^o*. Sic pariter nulla affectio exurgit, cum Pontifex apposuit manum ad alium omnino finem, quam conferendi beneficium, ut tenuit Rota *part. 2^a recent. Decis. 190 num. 7^o*, puta reservando in eo pensionem.

non eadem sub-actum. 1^o officio manualium
 2^o — juris patronatus laicali
 Praecipua reservatio y officio quod datur in Civitate Pontificia
 de jure communi 2^o officio quod datur ob honorem civitatis
 3^o — propriis officio (quod datur in Civitate Pontificia)

21.^o Post Pontificem Romanum in quavis Dioecesi ordinarius collator beneficiorum est Episcopus, aliique superiores, Archiepiscopi etc. unusquisque in sua Dioecesi ex *cap. 1^o de Capellis Monach.* et *cap. 12 de haeret.*; et hac potestate uti possunt Episcopi postquam litterae Apostolicae confirmationem continentes ostensae fuerint Capitulo, quamvis nondum consecrati sint. Cum iis concurrat in provincia legationis *Legatus a latere* ex *cap. fin. de offic. Legati in VI*; quamvis, ut dictum est, ejus auctoritas hac super re hodie ex textu Concordatorum sit dimittenda. Ex hac ordinaria potestate conferendi beneficia in Dioecesi Episcopi omnes alios singulares collatores excludunt, nisi isti jus suum concludenter probent, cum Episcopi habeant suam intentionem in jure fundatam. Quae potestas competit quoque *Praelatis pleno jure exemptis* habentibus territorium, Clerum et Populum suum cum jurisdictione quasi-Episcopali. Haec pariter potestas competit ex privilegio S. R. E. Cardinalibus in suis titulis, aut commendis titularum. — Quaestio est ad quem spectet de jure communi provisio canonicatum et praebendarum tum Ecclesiae Cathedralis, tum Ecclesiarum Collegiatarum. Dixi *de jure communi*; nam in his attendenda sunt, ut notant Auctores, specialia certarum Ecclesiarum, vel personarum privilegia, statuta, consuetudines, foundationes etc., et hodie textus Concordatorum. At praecisione facta ab his omnibus, ut cum communi Canonistarum

nam alii de hoc capitulo vel alio jure
 in (concordatorum)
 et laicali foundationum

retinet Schmalzgrueber *hic num.º 50*, retinendum est collationem Canonicatum, dignitatum et praebendarum Ecclesiae Cathedralis pertinere ad Episcopum et Capitulum simul, ita ut Episcopus aequalem vocem cum Capitulo habeat, quamvis indifferens sit, ut a Capitulo et Episcopo alternative conferantur, ut notat Garcias *part. 5ª de beneficiis cap. 4º num. 72*. Idem dicendum est de reliquis beneficiis inferioribus in Ecclesiis Cathedralibus existentibus, quae si sunt de gremio Capituli saltem quoad mensae communis participationem, pertinent ad simultaneam Episcopi et Capituli provisionem: at si sunt Capitulo extranea, conferuntur *exclusive* ab Episcopo. De Collegiatis Ecclesiis placet referre, quae a Pitoni *discept. eccles. cap. 159 num. 3º et seqq.* notantur: « De jure, an in Collegiatis » Ecclesiis Episcopus, vel Capitulum habeat jus » conferendi, fuit acerrima quaestio inter antiquos » Canonistas, quorum aliqui tenebant solidam col- » lationem spectare ad Episcopum, alii vero con- » trarium sustinebant, nempe, eandem collationem » spectare ad Praelatum et Capitulum Collegiatae, » sine aliqua Episcopi participatione: alii quod » spectat ad Episcopum, adhibito solum consilio » Capituli. In quo conflictu *praevaluit distinctio » communiter recepta, cum qua hodie proceditur » in praxi, quod nempe, aut constat Canonicatus » fuisse erectos de bonis communibus ipsius Ec- » clesiae, vel dubium est ex quibus bonis illi erecti » fuerint; et tunc quia praesumitur in dubio facta*

» *erectio de bonis, et redditibus ipsius Ecclesiae Col- » legiatae, propterea ad Capitulum et Praelatum » Collegiatae spectat solum jus eligendi, seu prae- » sentandi ad Canonicatus vacantes; institutio au- » tem, seu jus instituendi omnino spectat ad Epi- » scopum juxta sententiam Joannis de Lignano, » quae fuit recepta tam in consulendo, quam in » judicando, ut communiter censuerunt Panormit. » etc. Aut vero constat Canonicatus, seu praebendas » fuisse erectas de bonis Mensae Episcopalis, aut » de redditibus beneficiorum liberae collationis, et » tali casu tota Collatio libera et absoluta pertinet » ad Episcopum absque electione aut consilio Ca- » pituli Collegiatae, quemadmodum animadvertunt » etc. Quae opinio justis rationibus fundatur. Ete- » nim Episcopis data fuit ab initio potestas dispo- » nendi de beneficiis, seu ea libere conferendi cum » sit actus jurisdictionis episcopalis. Quae regula » licet limitetur quantum ad jus eligendi competens » Capitulis ex *praesumpta dotatione praebendarum » de bonis Ecclesiae Collegiatae, ad instar patroni » ecclesiastici, qui habet jus eligendi seu praesen- » tandi ratione dotationis, attamen cessat hujus- » modi limitatio quoties probatur Canonicatus, seu » praebendas non fuisse institutas de bonis Eccle- » siae. » Neque aliter tradunt De-Luca *de benef. disc. 17 n. 5. Gaud. de visit. praelat. dub. 9 sect. 3 n. 31*, aliique passim. Idem tenet Garcia *de beneficiis part. 5ª cap. 4º num.º 58, et seqq.* quod pariter judicavit Rota in *Decis. 226 num. 2º***

et seqq. Collatores autem Pontifice inferiores in provisionibus faciendis tenentur nonnullas servare conditiones, seu regulas a canonibus praescriptas, quae ab Auctoribus exponuntur, et sunt — 1° ut istae concessionem *gratis* fiant: — 2° ut liberae sint, nulla interveniente vi, aut metu ex *cap. 2° et 3° De his quae vi, metusve causa fiunt*: — 3° ut fiant *in scriptura* saltem ad fidem faciendam; formatae enim litterae de essentia, aut validitate tantum requiruntur in provisionibus Apostolicis, et Legatorum S. Sedis: — 4° ut fiant in perpetuum, vel simpliciter: — 5° nec conditionate ex *reg. 50 juris in VI°*, loquendo de conditione extranea: — 6° nec *alternative* duobus: — 7° nec *copulative* duobus: — 8° et intra tempus a jure statutum, nempe intra semestre a die cognitae vacationis ex *cap. 41 de elect.*

22.° Aliquando in beneficiis conferendis servari debet forma concursus, de qua nunc saltem substantialia a nobis exponenda sunt. Concilium Tridentinum considerans maxime expedire saluti animarum a dignis atque idoneis Parochis populos gubernari, non solum ad indignos arcendos, sed ad digniores eligendos statuit in iis conferendis parochialibus beneficiis adhibendam esse formam concursus in *cap. 18 sess. 24 de reform.* Atque adeo insistendum esse censuit in hac forma concursus, ut decreverit, sicut in eodem textu subjungit, « ut alias provisiones omnes, seu institutiones, praeter supradictam formam factae

» subreptitiae esse censeantur, non obstantibus » huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, » praeventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque universitatibus, etiam ad certam summam, et aliis » impedimentis quibuscumque. » Quin imo Pius V in Constitutione « *In conferendis* » diei 18 Martii 1567 praeter dictam collationis nullitatem, concessionem hanc statuit devolutam esse ad Sedem Apostolicam, seu ad eos, quibus jus competit conferendi paroeciam. Circa has constitutiones videbimus de forma concursus et provisionis, inde de exceptionibus, et demum de hodierna praxi nonnullarum nationum catholicarum. — (a) Et prius de forma concursus et provisionis. Concilium Tridentinum nullam certam ac peculiarem formam, seu methodum servandam proposuit pro examine in concursu promovendorum ad Ecclesias parochiales; haec tamen statuta est in Litteris encyclicis S. Congregationis Concilii editis jussu Clementis XI die 10 Januarii anni 1721. Quas litteras cum referret Benedictus XIV in Constitutione « *Cum illud* » diei 14 Decembr. anni 1742, deinde statu-
tuit quid in hac re sit observandum tum in indicando concursu, tum in eo gerendo, in relatione Examinatorum, in iudicio Episcopi, et in appellatione, cujus effectus est tantum in devolutivo, non in suspensivo: quia vero in ea Constitutione omnia clare statuta inveniuntur, nec summari potest

3° quae
12 quomodo
quid conferri
parochialibus
locum.
2° ut ex
1823
in non
m. n. d.
f. d. e. a. n.
De id. a. n.
C. a. r. o. n. a.
reg. 50, m.
Episcopi aut.
Litteris d.
1823.
m. n. d. P. a. p. d. e. c. r. e. t. h. o. c. h. y. r. e. q. u. i. r. a. n. t.
f. o. r. m. c. o. n. c. u. r. s. u. s. s. e. d. t. a. m. e. n. i. n. d. i. s. p. o. n. d. a. n. t.
E. p. i. s. c. o. p. i. s. c. o. n. g. r. e. g. i. o. n. i. s. s. e. d. t. o. r. e. s. u. b. s. t. a. n. t. i. a. l. i. a.
s. u. b. j. u. n. g. i. t. q. u. o. d. i. q. u. i. s. d. i. s. p. o. n. t. n. o. n. d. e. b. e. t. u. r. i. n. s. u. p. p. r. e. s. s. i. o. n. e.
P. i. u. s. C. o. n. s. t. i. t. u. t. u. r.

commode, pro legentium utilitate puto esse transcribendam. Ea est ut sequitur:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam benedictionem.

» Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica, ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constituti cura animarum, et dominici gregis custodia crederetur; quia totius familiae status, et ordo nutat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim Sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen Ecclesiarum parochialium iis esse commitendum, quorum omnis actus a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem; sed caveri tantummodo, ne indignis Ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur; s. m. Innocentius XI praedecessor noster erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit, quam prudens, ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

*a Jo. Lippi in hoc eam: ad metrop. et a metrop.
ad Ep. viciniorum, non ad Rom. et sic ordinari.*

» Ad tramites idcirco eiusdem Sanctae Synodi usu receptum est, occurrente parochialis Ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursus institui, ut habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina, et sufficientia, solerti inquisitione, Episcopus eligat quem caeteris magis idoneum iudicaverit.

» At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus aequo iudicio minus digni dignioribus praeponantur, sanctae memoriae Pius V. noster praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum, atque praeposterum, edita saluberrima constitutione, licere voluit iniuste in concursu rejectis, interposita ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, praelectum ad novum examen provocare, et Ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquo modo retardata praelecto ab Ordinario parochialis Ecclesiae possessione.

» Consultissimae huiusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude, et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim rejecti ab Ordinario dictae constitutionis ob-

tentu in vocem appellationis facile prorumpere, et minus legitima concurrente causa electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea relicta gregis, et Ecclesiae custodia longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis, et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia, et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

» Quin etiam experientia compertum est, magno justitiae detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui examini se subjecerant, atque in primaevo concursu utpote legitimarum institutionum nescii rejecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam literis ex industria navantes operam, praeferri aliis merebantur, et acerbè succensebant Episcopo, judici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per injuriam se fuisse rejectos.

» Hinc apud bene moratos homines, et justitiae vindices, frequens querelarum occasio, quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini interpres omne studium, diligentiamque conferret: nobis, qui secretarii munere fungebamur, mandatum est ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re nostros expli-
cantés, vitio potissimum laborare comperuimus
praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis con-
signati: electi siquidem ad curam animarum ab

ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio judice provocati, jus legitimae collationis tueri non poterant certo, ac permanenti testimonio jam probatae idoneitatis; sed a novi examinis alea subeunda coram judice appellationis gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi justitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium judicem, nullo exhibito indebitae rejectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum, et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones examinatis propositae, et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigeretur; ut si acta demum totius concursus ad judicem appellationis integra asportarentur.

» Inita a nobis consilii ratio non solum arisit Congregationi, illam die 16 Novembris 1720 ratam habenti; sed etiam Pontificii judicii accessione roborata fuit a Clemente XI ecclesiasticae disciplinae vindice, et assertore eximio. Utique locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, et diligentia exequerentur; iis datae sunt die 10 Januarii 1721 opportunae literae nostro calamo exaratae, ejusdemque Pontificis sensu, et oraculo comprobatae, quarum tenorem etsi alias praelo commissum, et insertum in bullario dicti Clementis praedecessoris nostri, congrue hic diximus referendum.

*Blam. con
2. variat.
3. productio
4. summo
5. in appo
6. prohibu
7. q. Has
8. hanc. sent. in
9. hinc. suffic.
10. 3: q. p. ob.
11. scribit. lito
12. 2. appo
13. p. p. p. p.
14. p. p. p.
15. p. p. p. p.
16. p. p. p. p.
17. p. p. p. p.
18. p. p. p. p.
19. p. p. p. p.
20. p. p. p. p.*

Reverendissime Domine uti frater.

» Quo parochiales Ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24 cap. 18 ut, vacante Ecclesia parochiali, indiceretur, et fieret concursus; ac, postquam concurrentes ab Episcopo, vel ejus Vicario generali, atque ab Examinatoribus synodalibus saltem tribus, examinati, et approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam necessariis, et opportunis, digniorem caeteris, magisque idoneum judicaret. Adiecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam, re, et nomine Sanctissimus Pontifex Pius V, quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui rejecti essent, a mala ejusdem electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicae delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice, et ejus Examinatoribus provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet: quemadmodum in ejus Constitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constituto de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis Ecclesia magis idoneo conferatur.

» Cum autem neque Concilii decreto, neque Pontificis bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; difficile dictu est, quanta examinum, aliorum alibi, diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eadem omnibus quaestiones, non iidem casus propositi fuissent, erant identidem, qui, vel in iudicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliiores, praelecto autem faciliores ad solvendum quaestiones obtigisse. Alibi vero eadem quidem omnibus quaestiones propositae fuerunt, sed neque hae, neque datae a concurrentibus responsiones scripto, seu literis consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispian jure bullae supradictae, novum ad examen coram iudice appellationis, ejusque Examinatoribus electum provocaret: Sacra Congregatio usque ab anno 1603 considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio, in quo, probato per novum examen appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda superest ejusdem praejam electo in reliquis ad regendam Ecclesiam requisitis praestantia, ut de majori alterutrius ad parochialis Ecclesiae gubernium idoneitate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen

habeatur, vel etiam habendus sit. Quam S. Congregationis sententiam scriptores, et tribunalia laudarunt. Aliis demum in dioecesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eadem omnibus quaestiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo Marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, quae interrogati fuerint, quaeque responderint, sua manu perscribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacrae deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellatibus, indulgentia nec ne statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis praerequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinae facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati probare, nisi secundo, seu novo examine non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiae in administrandis diu Ecclesiis laude praestantes, qui monerent, frenum aliquod hujusmodi appellantium licentiae tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocaciones esse reprimendas; quippe quae vix unquam sine magno Ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram iudice appellationis longe procul a parochia, peragendum sit; electus ab Episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque oeconomus, vel vi-

cario cuiquam, veluti sponsam ignotis custodibus, relinquere, sponso non parumper, sed diu sane abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, examina super praestantia primum doctrinae, tum deinde aliorum, quae ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adjudicanda.

» Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione 1. Oct., et 16 Novemb. 1720 summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per praesentes literas encyclicas exequitur) omnes, et singulos Episcopos, aliosque praelatos, penes quos sit jus, et auctoritas faciendi concursus, hortari, ut examen ejusmodi instituire non graventur, quale jam et multae dioeceses, et Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat, sive, cum, Sede vacante, vacat Ecclesia aliqua parochialis, cujus collatio ad Sedem Apostolicam pertineat, sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, juxta decretum, sive demum, cum, vacante in collegiatis, aut cathedralibus Ecclesiis dignitate aliqua maiori, annexam habente curam animarum, faciendus est concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est,

atque in literis, quae de ordine Sanctissimi, tunc e Dataria prodeunt, clare praescribitur.

» Vacante itaque Ecclesia parochiali, quae conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec, quae sequuntur, ex Sacrae Congregationis sententia, consilio, suasionem servanda proponuntur.

» Primum nempe, ut assignentur eadem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

» Alterum, ut casus, et quaestiones resolvendae dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.

» Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, concionulam componant.

» Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi clauduntur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quisquam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, et exhibuerint.

» Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

» Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

» Postremum, ut unumquodque responsum, et

unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab Examinatoribus, et ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.

» Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior iudicatus fuerit, Ecclesia parochiali, non admittatur appellatio aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

» Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa, et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario concursus, atque altero Notario collatum, et auscultatum coram Vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adiugendi electio pertinebit, nec non ab Examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum.

» Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut praemittitur, examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit.

» Quemadmodum et in iudicio appellationis per-

sequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus, et documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

» *Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, et Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexit, perget et Sacra ipsa Congregatio more pristino appellatibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuscujusque Ordinarii cancellaria perpetuo conservari. Cujus interea consilium, tum voluntatem dum ego omnibus significo, Amplitudini Tuae fausta omnia a coelo precor. Romae hac die 10 Januarii 1721. Amplitudinis Tuae - Uti frater - P. M. Cardinal. Corradinus Praefectus. - P. Lambertinus Secretarius.*

» Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae justitiae, componendis dissidiis, continendisque in officio Clericis proficeret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum Ecclesiam, ac deinde Bononiensem sponsam nostram paterna charitate co-

minus amplecteremur; freti siquidem dictarum legum praesidio digniores parochiis, et curae animarum praefecimus: tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium, vel minus juste alteri credita vacantis Ecclesiae gubernacula.

» At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse, imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, saepe declinare, ac redarguere judicium episcopale praesumant: Nos propterea solliciti de implendis, prout decet, muneris nostri partibus, nonnulla praefatis literis addenda, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicanda censuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragentur.

» Moerentes igitur audivimus, quod in pleisque dioecibus etsi recepta sit laudabilis, firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium: nihilominus examinatorum suffragia in sola literarum peritia versantur, nec illorum exquiritur sententia de Clericorum aetate, institutione, gravitate, et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo, et exemplo juvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *Cap. 18. sess. 24. de Reform. Peracto deinde examine renuntientur quotecumque ab his idonei judicati fuerint moribus, doctrina,*

prudencia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis. Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii interpres pluries edixit, examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea Ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus ad officium Parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei, et commendabiles.

» Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendae Ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris; quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis: « *Ex hisque Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.* » At si quem Clericorum forte contigerit appellare a mala relatione Examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruant officio: ordo iudicii secumferet, ut etiam iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur; nec sine gravi animarum detrimento, et disciplinae injuria praeficiatur Ecclesiae qui literis magis pollet, licet caetera minus aptus, et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Ecclesiae famulatu, ac multiplici virtutum laude praecellit.

» Factum praeterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quam Examinatores conjunctis studiis, industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordi iudicio Ecclesiae personae, quae licet scientia, et literis alteri concedat, majori tamen caeterarum qualitatum eminenti ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili iudicio Episcopi non raro appellat; causaque ad iudicem appellationis delata, idem totus est in perquirenda majori doctrina, ac reparando gravamine literato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur: lugentque ut plurimum vigiles Ecclesiarum Antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

» At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, majori, et accuratiori examine inquiret, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius anteactae vitae ratio, pascendo gregi consentanea; tot iudici exhibentur attestations ab appellante ex industria collectae, ut, revocato episcopali iudicio tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa, tamque conspicua probitatis adjuvant documenta.

» Demum cum praecipue Episcopis, tamquam

in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu tam inspecta scientia, quam moribus ille idoneus ab examinatore renuntietur, cui foeda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta. Si Episcopus, justa sua-dente causa crimine non revelato, eundem criminum tacitus praeterierit, aliumque immunem a sorde praelegerit: illico postpositus, simulato gravamine, provocat ad superiorem judicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

» Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis ad justitiae praesidium institutum, callide traducant ad iniquitatis defensionem: optimum factu aliquibus fortasse videretur, si appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo judici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione Examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa « *Nec praedictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, et appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuncios, seu Episcopos, aut Metro-*

litanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediatur, aut suspendatur. » Cui sanctioni respondet etiam Constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio Episcopi.

» Qua de re, ut in huiusmodi negotio apte omnia, atque composite peragantur, officii nostri esse duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse, et prodesse possint.

» I. Episcopus, habita notitia vacationis Ecclesiae, statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius Ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

» II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo, et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare, et aperte moneantur, ut interim decurrente termino assignato, coram Cancellario episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatam, meritorum, et munerum probationes, attestations tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant: alioquin, dicto termino elapso, documenta hujusmodi quaecumque, et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

» III. Eveniente die concursus, a Cancellario episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a juribus

tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur: porro copia Epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus Examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae Ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

» IV. Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis literis anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro Examinatores ad assequendam certam, et indubiam conjecturam scientiae, postquam diligenter expenderit singulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a catechismo romano excerpto, ac pari diligentia libnaverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderit qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel alteri dato themati accommodata: parem, ni forte majorem solertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere con-

socianda; hisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et idoneos Episcopo renuntient.

» V. Absoluto concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a Vicario generali una cum Examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel ejus Vicarii generalis. Su-binde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniore, nec illi possessio ullo appellationis; vel inhibitionis obtentu retardetur.

» VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi: coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat; et iudex nisi illis visis, et gravamine comperto, sententiam non pronunciet. Praeterea in ferenda sententia, ac reparando gravamine idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis iuribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dd. attestationes, fides tam judiciales, quam extrajudiciales,

et documenta quaecumque studiose conquisita, et post concursum, ut ajunt, expiscata ullo modo recipiantur: non obstantibus supra memoratis literis, a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721 editis, quibus ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

» VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno, vel altero ex approbatis, Ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere judici appellationis, ad detergendam injustae fortasse praelectionis notam: familiaribus literis judicem certiorum efficiat, inviolabilis secreti lege adjecta. Nemo sit, qui hanc praxim nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. *Sessione* etenim *24 cap. 20 de Reform.* ita disponitur: « *Praeterea si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium judicem recurrerit; teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad judicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit judici appellationis significare.*

» Et quamvis jure nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi judicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit; attamen Episcopus (ut dictum

est) si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quae temen approbari digna sit, Ecclesiam contulerit; illam judici appellationis, datis secreto literis, denunciet, et aperiat. Sciant porro judices, delatas ab Episcopo causas, et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas; nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterri divini interminatione judicii, odio, vel favore moveantur; et in sacrorum canonum singularem injuriam, *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.*

» Si vero Episcopo fuerit suspecta fides judicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta: illa significet secretis literis S. R. E. Card. Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quo minus a judice appellationis debitus justitiae locus tribuatur.

» Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationum, quae magno litigantium dispendio, et Ecclesiae pernicie immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari: idcirco ubi a judice appellationis lata sit sententia, quae praelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei judicatae controrsivae finis imponatur. Sin vero judex appella-

Si sententia lata sit conformis, non potest appellari. Si non conformis, potest appellari. Si non conformis, potest appellari. Si non conformis, potest appellari.

tionis aliter, quam Ordinarius pronunciaverit; liceat praelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium judicem appellare, firmiter interim retenta parochialis Ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque judex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus, et expensis, praesertim, quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio; is legitimum regendae Ecclesiae jus obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

» His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae, ac recto genderarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae executioni mandentur; eumque in scopum locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri Apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac summovendis abusibus novas implorari leges ab iis, qui jam praestitutas negligunt, et contemnunt.

» Demum cum non raro contingat, Ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus, aliaque beneficia, curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint: nos Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes praecipimus, et mandamus,

ut uno vel altero eveniente casu, concursum ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam nostris hisce literis sibi tributam Episcopi intelligant.

» Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, quae tantum ratione mensium reservata sint, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quocvis capite, quam mensium Apostolicorum, S. Sedi reservata sint; eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

» Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis, eidem denunciare personam, quam censent regendae Ecclesiae magis idoneam, eundemque commonere, an occulta aliqua, et in actis juste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium Principe, et magistra, luculento edocebimus exemplo quanti faciendum sit episcopale iudicium, quantoque vos honore prosequamur, Ven. Fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocatos, quibus interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XIV Decemb. MDCCXLII Pontificatus nostri anno tertio. »

Ad interpretationem constitutionis Tridentinae quod attinet ad primam a nobis propositam quaestionem adjungendum est quod traditur a Benedicto XIV *De Synod. lib. IV° cap. 7*, de Examinatoribus, eos scilicet adhiberi ad hoc examen, qui in Synodo ab Episcopo, vel Vicario propositi, sunt a Synodo probati. Quod si intra annum sex non superfuerint, poterunt ab Episcopo et Capitulo surrogari in eo numero, ut cum superstitibus non excedant sex, duraturi usque ad futuram Synodum elapso anno cogendam. At si elapso anno Synodus non cogatur, tunc subrogatorum officium expirat, non autem eorum, qui in Synodo fuerunt constituti, dummodo sex perseverent; at si unus ex eis decesserit, omnium expirat munus, et petenda est facultas a S. Congregatione Concilii ad subrogandum alios, et facultas datur ad annum. Adendum pariter est eos ad minus tres esse adhibendos, et non posse ad idoneitatem concurrentium stabiliendam suffragari Episcopum, vel Vicarium, nisi vota Examinatorum paria, vel singularia sint. Quod intelligetur, si cum Gallemart in commentariis ad hoc caput Concilii Tridentini *num. 17* notetur « satisfieri decreto Concilii, si tertius Examinator examinaverit, et sit praesens in approbatione, licet votum suum non applicaverit. » Examinatores autem sub poena nullitatis teneri ferre iudicium non modo scientiae, sed et ceterarum qualitatum concurrentium, quod jam statuerat S. Congregatio Concilii *die 2 Augusti 1607*: « S. Con-

» gregatio censuit, si Examinatores non retulerint
 » idoneos quoad omnes qualitates, prout Concilium
 » requirit, nullum esse concursum. » At ad Examinatores non spectare eligere magis idoneum ex illis, qui fuerint approbati ad parochiales Ecclesias, sed ad Episcopum post clara verba Concilii decisit S. Congregatio, ut refertur in *lib. 1° Decretor. pag. 110*. — (b) An vero pro omnibus parochialibus beneficiis adhibenda sit forma concursus, id indiget explicatione. Ex Concilio enim Tridentino, et ex citata Constitutione Benedicti XIV satis aperte eruitur id exigi pro quavis Parochia, quae sit liberae collationis etiamsi sit Pontifici reservata, dummodo non vacet ex permutatione, quo casu non adhibetur concursus, sed simplex examen, cum debeat Paroecia illi conferri, cum quo permutatur. Imo si sunt permutantes ambo Parochi, et per concursum acquisiverunt, vel per examen Paroecias, ne examen quidem locum habet, ut tenet Garcias decisum a S. Congregatione, *De Beneficiis p. 9^a cap. 2° num. 165*. Concilium autem Tridentinum proponit quoad ista beneficia sequentes exceptiones: « Si tamen adeo exigui red-
 » ditus dictae parochialis fuerint, ut totius hujus
 » examinationis operam non ferant, aut nemo sit,
 » qui se examini quaerat subicere, aut ob apertas
 » factiones seu dissidia, quae in aliquibus locis
 » reperiuntur facile graviores rixae, ac tumultus
 » possint excitari: poterit Ordinarius, si pro sua
 » conscientia cum deputatorum consilio ita expe-

» dire arbitrabitur, hac forma ommissa, privatum
 » aliud examen, ceteris tamen, ut supra, servatis,
 » adhibere. » Concursus pariter habet locum in
 beneficiis curatis juris patronatus ecclesiastici, et
 quoad praesentatos a patronis ecclesiasticis faciunt
 responsa Benedicti XIV in Epistola Decretali
 « *Redditae nobis* » diei 9 Aprilis 1746. Postulata
 erant:

» I.° An patronus ecclesiasticus teneatur in foro
 externo praesentare ad beneficium curatum eum,
 qui inter approbatos ab Examinatoribus magis
 dignus est?

» II.° An Episcopus, ad quem spectat dare in-
 stitutionem debeat sequi iudicium patroni de magis
 idoneo magisque digno, an potius inquirere rectum
 ne sit iudicium patroni, an secus?

» III.° Si appellaverit qui se digniorem esse putat
 et posthabitus est, an suspendi debeat institutio
 praesentati, an vero haec debeat suum effectum
 sortiri, seu, an appellatio interposita locum habeat
 in devolutivo tantum, an potius etiam in sus-
 pensivo?

Ad quae responsum est: — « ad primum
 » *affirmative*. — Ad secundum *affirmative ad*
 » *primam partem*, si nemo queratur inter exami-
 » natos. Sed si sit querela, teneri Episcopum in
 » dictum iudicium inquirere. — Ad tertium ap-
 » pellationem locum habere tantum in devolutivo,
 » si patroni et Episcopi iudicium de magis digno
 » conveniunt; in dissensu autem appellationem

» esse quoque in suspensivo. » — Quod si insti-
 tutio ab alio facienda est quam ab Episcopo, tunc
 Episcopus solus ex dignis eliget digniorem, quem
 patronus ei praesentabit, ad quem spectat insti-
 tutio; et ita esse observandum, etiamsi a Pontifice
 esset facienda institutio, vel ab inferioribus Prae-
 latis etiam exemptis S. Congregatio censuit et Pon-
 tificex voluit, ut refert Gallemart *cit.° cap. num. 33*.
 — Beneficia vero curata juris patronatus laicorum
 non sunt subjecta concursui ex *cit.° capite* Concilii
 Tridentini. Quin imo si a patrono laico plures
 simul praesentati sunt ad idem beneficium cu-
 ratum, neque in hoc casu proprie loquendo habet
 locum concursus, ut refert Fagnanus in *Commen-
 tariis ad caput 24 de jure patronat. num. 31*
 esse decisum a S. Congregatione Concilii, ut non
 debeant proponi edicta ad vocandos quoscumque
 etiam non praesentatos. Sed deinde subjungit *num.*
33 ex mente Concilii Tridentini, et Constitutionis
 Pii V omnes praesentatos esse examinandos, eum-
 que esse instituendum, quem ex ceteris approbatis
 magis idoneum ad Ecclesiam gubernandam Epi-
 scopus judicaverit; ex quo derogatum est praedicto
capiti 24 de jure patron. Idem Fagnanus in *cap. 27*
h. t.° num. 80 probat ex declaratione S. Congre-
 gationis Concilii non requiri concursum, quando
 jus-patronatus est mixtum; sed in duobus hisce
 ultimis casibus nempe juris patronatus-laicorum
 et mixti, praesentatus a patronis ab iisdem Exa-
 minatoribus debet probari, et non nisi idoneus re-

pertus fuerit, poterit admitti. — (c) Aliqua nunc dicenda sunt de hodierna praxi nonnullarum nationum catholicarum. Haec lex concursus a Concilio Tridentino imposita non solum dicenda est numquam fuisse revocata, sed in viridi observantia existit, quamvis non eodem modo penes diversas nationes, et quamvis alicubi sive indirecte, sive directe *de facto* ei fuerit derogatum. Mitto loqui de nonnullis regionibus, in quibus lex concursus, licet non applicetur qualibet vice, qua beneficium parochiale est vacans, ei tamen obtemperatur per concursus generales, semestrales et annuales, in quibus renuntiantur quotquot idonei sunt ad curam animarum, ut fit in Germania; quae idoneitas in vim supradicti concursus per determinatum tempus durat, lucranda iterum per alium concursum, qui exitum felicem pro quovis candidato habeat. Hic modus obtemperandi legi concursus praeterquam quod satis antiquus est, et fortasse exactus a multiplicitate beneficiorum parochialium, quae in unaquaque Dioecesi existunt; ex altera parte fundamentum habet in ultimis verbis *cap. 18 sess. 24* Concilii Tridentini per haec verba: « Licet etiam Synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittenda esse censuerit, providere. » Mitto pariter loqui de Parochiis institutis in America Septentrionali, Anglia, aliisque regionibus, in quibus haec collatio, seu provisio fit ad tempus et non in perpetuum, nec titulus conceditur, sed

tantum Vicaria temporalis, prout etiam factitatur in aliis regionibus subjectis S. Congregationi de Propaganda Fide. Quando nam tempus venturum sit, quo sub juris communis regimine etiam haec super re istae provinciae ponendae sint ad laudatam S. Congregationem pertinet determinandum. — Loquimur nunc de Gallia, Belgio et Sabaudia. In istis regionibus duplex species Parochiarum distinguere potest, nempe earum, quae irrevocabiliter, seu in perpetuum conceduntur, prout sunt Parochiae Cantonales, Decaniae, aliaeque majores, licet numero paucae sint, et aliae numerosiores, quae dantur ad nutum, et minores appellantur. Circa istas, ut exposuit Leodiensis Episcopus (et consultationem ac responsum retulimus *lib. I° tit. XXVIII num. 3°*), disciplina inducta post Concordatum anni 1801 importat, ut Episcopi eas conferant *revocabiliter*, seu ad nutum; et haec disciplina debet servari, donec aliter a Sancta Sede Apostolica statutum fuerit, advertendo tamen, prout de praxi exponebat Leodiensis Episcopus, « quod Episcopi haec Rectores revocandi, vel transferendi auctoritate haud frequenter et non nisi prudenter utantur, adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest, satis consultum videatur. » Porro pro istis non est applicabilis lex concursus, cum non sit vera illa et canonica positio, de qua loquitur in *cit.º capite* Concilium Tridentinum. — Quid vero dicendum est de Parochis inamovibilibus? Hodie, et jam a tempore Concor-

dati jam dicti istae Parochiae non providentur observata lege concursus; sed non est putandum tales provisiones esse subreptitias, prout staturat Concilium Tridentinum, easque ut nullas devolvi ad Sedem Apostolicam, prout statuit in cit.^a Constitutione Pius V. Haec sanctio videtur omnino sublata saltem pro hac generalitate casuum in Gallia, praesertim cum S. Sedes praxim hanc non ignoraverit, eamque sanctionem nūquam inculcaverit. Et ipsi retinentiores Gallici Auctores non putant, aut saltem expresse non audent dicere tales provisiones esse nullas. Ego putarem forte advenisse tempus, in quo Episcopi adniti deberent, ut hanc legem concursus iterum instaurarent pro his Parochiis, cujus legis observantiam S. Sedes non desinit inculcare, eam quoque in Concordatis exigens, quaecumque tandem videatur expeditior, et magis accomodata esse forma concursus adhibenda. Atque hanc restituendam esse regulam ipsi Episcopi dignoscere coeperunt, instaurantes in Synodis Dioecesanis Examinatorum Synodaliū nominationem, et examinis per modum concursus diversas formas excitantes.

23.^o Locus hic est loquendi de pluralitate beneficiorum. Vetustissimo jam a tempore in Ecclesia per sacros canones fuerat vetitum propositum, ne quis Clericus in duabus Ecclesiis conscriberetur, neve unus in eadem quoque Ecclesia plurium officia occuparet Clericorum; hinc quando beneficia distributa sunt, eadem applicatio facta est, et vetita

pluralitas beneficiorum, ut constat ex *cap. 3 de cleric. residentib.*, aliisque juribus in *tit. III allegatis*. Ast deinceps alia divisio beneficiorum adhuc non recensita invecata est, nempe ut beneficia alia dicerentur, seu manerent *incompatibilia*, alia vero essent *compatibilia*, prout ab eodem Clerico simul retineri non poterant, vel potius id erat a canonicis permissum. Haec, inquam, distinctio locum habuit tum ex eo, quod in pluribus beneficiis cessavit obligatio exhibendae praesentiae personalis, et praestandorum munerum, remanente tantum officio recitandarum horarum canonicarum, tum ex eo, quod imminuti sunt redditus beneficiorum, qui non erant sufficientes ad sustentationem Clericorum, qui eis erant provisi. Hinc est quod Canones designare coeperunt quoniam beneficia essent *compatibilia*, et quae talia non essent. Hodie post Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 17 de reform.* beneficia *compatibilia* de regula generali pro unoquoque Clerico non sunt nisi duo, quorum utrumque est simplex, aut saltem unum tale est, et quorum prius ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat. Quod sequentibus verbis Concilium indicavit: « Sancta Synodus statuit, ut in posterum unum » tantum beneficium ecclesiasticum singulis Clericis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus, » cui confertur, honeste sustentandam non sufficit, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, » dummodo utrumque personalem residentiam non

» requirat, eidem conferri.» — Apposite diximus *duo tantum beneficia* esse compatiblea; licet enim antiquitus, ut tenent Doctores, Episcopus posset plura beneficia alicui Clerico conferre, si duo prius ob-
 tenta simul sumpta non praeberent honestam sustentationem Clerico; hodie tamen id fieri nequit, prout fuisse decisum a S. Congregatione Concilii refert Gallemart *in notis ad Tridentinum sess. 24 cap. 17 de reform. num.º 3.º* — Pariter notandum est quod primum beneficium debet esse insufficienti, ut sit venia accipiendi secundum, prout expresse asserit hoc loco Concilium Tridentinum, et ex modo loquendi S. Congregationis clarius intelligitur. Indifferens autem est quod ista beneficia sint de jure-patronatus, vel liberae collationis, dummodo sint vera beneficia, non vero legata pia, vel Capellaniae de jure patronatus laicorum. Ad quod probandum praeter alias auctoritates ab Auctoribus allatas, indicamus responsa S. Congregationis Concilii in causa *Bitecten*, ut in *Thesouro Resolutionum tom. II pag. 107.* — « Iº An obtinens primum beneficium sive liberae collationis,
 » sive de jure patronatus laicorum ad sui sustentationem sufficiens, possit absque dispensatione apostolica retinere secundum de jure patronatus laicorum in casu? — IIº An obtinens duo beneficia sive liberae collationis, sive de jure patronatus laicorum minime sufficientia ad congruam sustentationem, possit retinere tertium et quartum de jure patronatus laicorum absque dispen-

» satione apostolica in casu? — IIIº An id quod procedit in retentione beneficiorum, procedere etiam debeat in legatis piis, et Capellaniis de jure patronatus laicorum in casu? — S. Congregatio respondit: — Ad Iº *negative.* — Ad IIº *negative.* — Ad IIIº *negative.* » — Ex quibus omnibus erui possunt principia in hac materia retinenda. Ad quod faciunt quoque sequentia verba Concilii Tridentini in *cit.º capite*: « Haec non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam saecularia quam regularia quae cumque, etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant. » — At quid a canonibus statutum est ad impediendam hanc beneficiorum cumulationem? Diversa porro fuit sanctio canonum pro diversis temporibus. Porro tempore Alexandri III, sed ante Concilium Lateranense III ex *cap. 7 et 14 h. t.º* retinenti duas Parochias, dignitates, vel beneficia incompatiblea dabatur optio, ut unam retineret, et alteram dimitteret, quam mallet. In Concilio Lateranensi III vero, ut constat ex *cap. 3º de Cleric. non resident.*, statutum est, ut ille qui recepisset, quod contra canones accepit, amitteret, et qui dedit, largiendi potestate privaretur: scilicet privaretur recipiens secunda dignitate, vel Paroecia, ut explicat Fagnanus in Commentariis ad dictum *caput 3 de cleric. non resident. num.º 8º*, atque hanc privationem esse ipso jure inductam per verba canonis idem Auctor asserit. Quam tamen sanctionem re-

3^a formavit Innocentius III in Concilio Lateranensi IV per canonem relatum in *cap. 28 h. t.*°, in quo constitutum est, ut quicumque recepisset parochialem Ecclesiam, aut personatum, si prius tale beneficium habebat, eo esset ipso jure privatus, et si forte illud retinere contenderet, etiam alio spoliaretur. Is quoque, ad quem prioris spectabat donatio, illud post receptionem alterius, libere conferret, cui merito videret conferendum; et si ultra sex menses conferre distulisset, non solum ad alios ejus collatio devolveretur, verum etiam tantum de suis cogereetur proventibus in utilitatem Ecclesiae, cujus erat illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis illius constitisset esse perceptum. Joannes XXII in *extrav. Execrabilis h. t.*° exasperavit poenam contra eos, qui utrumque beneficium vellent retinere, ut ipso jure privati essent quoque secundo beneficio, et non solum ad ordines sacros suscipiendos, sed etiam ad obtinendum quodcumque beneficium inhabiles essent, eaque beneficia reservarentur Papae. Hodie viget dispositio *cap. 28 h. t.*°, sed extensa est a Concilio Tridentino ad omnia beneficia incompatibilia *cap. 4 sess. 7*, et ad beneficia quoque simplicia, quando primum est sufficiens ex *cap. 17 sess. 24*, nempe, ut ipso jure primum vacet, et in casu interdictae retentionis etiam alio sic retinens spoliatur.— Vacare autem dicitur *ipso jure* beneficium per ademptionem alterius incompatibilis, quando hoc alterum est collatum, acceptatum, et pacifice possessum, vel

Novum Eccl. Cathedralis non est de Canonice
personae. ut de personat.

saltem penes beneficiarium stetit, quominus pacifice illud possederit, prout post Glossam in *cap. 35 v. pacificam de election. in VI*° tenent communiter Doctores. Huc refertur decretum S. Congregationis Concilii pro Episcopis Poloniae *diei 23 Decembr. 1624* confirmatum ab Urbano VIII Apostolicis Litteris *diei 20 Martii 1625*, relatum a Richter *Canones et Decreta Concilii Tridentini in sess. VII cap. 2.*°

24.° At jam a Concilio Lateranensi IV *cap. 28 h. t.*° fuerat huic decreto exceptio proposita his verbis: « Circa sublimes tamen, et litteratas per- » sonas, quae majoribus beneficiis sunt honoran- » dae, quum ratio postulaverit, per Sedem Apo- » stolicam poterit dispensari. » Quam exceptionem nec potuit, nec voluit abolere Concilium Tridentinum. Porro nonnulli putaverunt *praesumptam* haberi S. Sedis dispensationem ex Regula XXXVI Cancellariae Apostolicae, ut qui beneficia incompatibilia per triennium pacifice possedisset, illius Regulae privilegio defenderetur; sed cum S. Congregatio Concilii hac super quaestione fuisset requisita in *Aquilana diei 14 Augusti 1632* respondit « praesumptam dispensationem, quae nititur in » Regula Cancellariae Apostolicae de triennali pos- » sessore, contra decreta Concilii Tridentini *cap. 4 » sess. 7, cap. 17 sess. 24 et cap. 15 sess. 25 » locum non habere; itaque possidentes beneficia » contra dispositiones dictorum decretorum ex tali » praesumpta dispensatione suam possessionem*

Circa Cathedralis. Fructus quocumque accinguntur
Ep. pro h. prima unum, delecto magna. No. caput
Sedem quibus, et fabrica cathed. — Quae si non indiget
laicis, eum si non indiget. — pro alio pro operibus
in Cathedralis Ep. similiter.

» tueri non posse, » prout jam eadem S. Congregatio responderat in una *Leodiensi*. Est proinde necessaria Sedis Apostolicae expressa dispensatio. Hanc vero dispensationem consuevit concedere S. Sedes — (a) *ratione necessitatis*, si desint idonei ministri in locis, in quibus haeretici se beneficiis intrudere conantur, prout in locis haeresi infectis antea actis temporibus verificatum est: — (b) *ratione utilitatis* Ecclesiae; et quidem id verificatum est quoque in Episcopatibus praesertim in Germania et Polonia; quem tamen usum prudenter compescuit Clemens XII duobus decretis, primo pro Congregatione Consistoriali, altero pro Secretaria Brevium, relatis a Benedicto XIV *De Synod. Dioecesis. lib. 13 cap. 8^o num. 8^o et 9^o*: — (c) *ratione praerogativae meritorum*, de qua loquitur *cit. cap. 28 h. t.*, et *extravag. Execrabilis Joannis XXII, h. t.* Et quidem veniunt sub hac expressione Cardinales S. R. Ecclesiae ratione dignitatis, de quibus quoque loquitur *cit. Extravagans*, et a nobis dictum est in *lib. 1^o tit. XXXI*, quae pariter excipit regum filios Clericos. Veniunt deinde aliae personae sublimes et litteratae. Et quamvis Pontifex in hoc habeat omnimodam auctoritatem; quoad ejus rescripta tamen sunt sequentia attendenda; nempe — (α) has dispensationes esse odiosas, quippe contra jus commune editas, proinde strictissime interpretandas: — (β) peccentem debere facere mentionem de beneficio prius obtento, secus rescriptum erit nullum ex *cap. 21*

in principio h. t. in VI^o: — (γ) Indulto Apostolico obtento, si quis dimittit unum beneficium, vi ejusdem rescripti nequit illud recuperare, quia indultum non operatur *bis* ex *Glossa de cap. 21 in VI h. t. v. illud autem*.

25.^o Ultimo in hoc titulo agendum est de unione, et divisione, de dismembratione ac suppressione beneficiorum. Unio definitur communiter a Juristis « duorum vel plurium beneficiorum, aut » Ecclesiarum a Superiore ecclesiastico legitime » facta adnexio. » Unio haec vel est *perpetua*, vel *temporanea*, prout dicta adnexio semper durat, vel tantum ad vitam ejus, in cujus favorem fit, et, eo mortuo, expirat. At haec posterior non est unio proprie dicta, sed potius dispensatio, vel reservatio, per quam ei beneficium traditur, in cujus favorem fit unio. Porro cum unio temporanea importet merum favorem, qui non est praesumendus contra canonicas sanctiones antea relatas, nisi expresse probetur, in dubio retinendum est unionem beneficiorum esse perpetuam, non temporaneam, ut communiter tenent Doctores apud Schmalzgrueber hic *num. 151*; praesertim cum unio haec temporanea a Praelatis ecclesiasticis Pontifice inferioribus fieri nequeat ex vetita pluralitate beneficiorum. — Unio autem perpetua tribus modis potest contingere; nempe *per extinctionem titularum*, aut *minus principaliter*, vel demum *aeque-principaliter*. Per extinctionem titularum fit, cum extinctis entibus beneficialibus, quae antea

reg. 36 de ista qui per 3^o pacifica fuerunt, capelli non possit nisi per 3^o (demonstrat) per hanc reg. tantum defectus (sed non super duplicata) 3^o 3^o

erant distincta, tertium ens incipit ex unione existere, quod non est nec primum nec alterum, sed aliquod tertium ex his duobus confusis enatum. Huic porro tertio beneficio competunt omnia jura, et privilegia priorum, ita ut in privilegiis, si paria non erant, serventur meliora et favorabiliora, reliquis cessantibus. Advertit autem Pirhing hic *num. 20* cum communi Doctorum hunc modum unionis non esse frequentem. — Alter modus unionis fit *minus-principaliter*, cum in unione beneficium, una Ecclesia alteri subjicitur, eique adhaeret. Ex hoc modo sequitur, quod beneficium sic unitum quasi extinguatur, quia assumit naturam, qualitates et privilegia beneficii principalis, cui adhaeret. Hic profecto est modus unionis valde usitatus et frequens inter beneficia, quorum unum est altero dignius. Quoad uniones Parochiarum factas alicui Monasterio, vel praelaturae notandum est, eas posse fieri *quoad temporalia tantum*, vel etiam *quoad spiritualia*, idque *pleno, aut plenissimo jure*. Si quoad temporalia tantum facta est unio (prout praesumendum est in dubio, quia minus praejudicat), tunc Monasterium, vel Praelatus lucrabitur jus praesentandi personam Parochi Episcopo, ut eum instituat, prout statuitur in *cap. 31 h. t.*, sed nihil immutatur tum circa rationem Ecclesiae, quae ab Episcopo sicut antea dependet, tum circa Parochi personam, quae pariter sub potestate Episcopi manet; et istae Ecclesiae dicuntur unitae *non-pleno jure*; deque istis Parochis, seu Vicariis

locuti sumus *lib. 1^o tit. XXVIII num. 3^o pag. 38.^a* Quod si unio beneficiorum facta sit *in spiritualibus* quoque, tunc interest videre an ea facta sit *pleno jure*, vel *plenissimo*; si enim pleno jure facta est, tunc Monasterium valet deputare ut Vicarium talis Paroeciae quoque Regularem, qui tamen quoad ea, quae respiciunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem, est subjectus jurisdictioni Episcopi dioecesani, quamvis de cetero hic Regularis quoad suam personam sit exemptus utpote religiosus; atque debet obtinere approbationem ab Episcopo: et quamvis possit removeri a cura animarum ab Abbate, tamen id fieri debet certiorato Episcopo. Haec probantur ex prima parte *cap. XI sess. 25 de Regular.* Concilii Tridentini, et ex pluribus decisionibus S. Congregationis Concilii, inter quas citamus *Passaviensem diei 28 Julii 1731.* — Quod si demum plenissimo jure unita est Monasterio Paroecia, tunc particeps fit exemptionis Monasterii, et ejus ordinatio dependet unice a Monasterio, vel Praelato, cui unita est; quia tunc etiam populus exemptus est, et esse incipit exclusive sub jurisdictione istius Praelati, qui consideratur illius Paroeciae Ordinarius, prout constat ex *cap. 21 de privilegiis*. De iis loquitur Concilium Tridentinum in secunda parte *cap. XI de Regularibus.* — Tertia species unionis est, quae fit *aeque-principaliter*; et tunc ista beneficia, vel Ecclesiae propriam naturam, qualitates et privilegia retinent; utraque proprium titulum retinet, et dotem;

atque tantum in hoc est facta variatio, quod una eademque persona constanter utrâque Ecclesia, vel beneficio donatur. Unio haec locum habet in beneficiis paribus, prout sunt Episcopatus, et plura habemus exempla; atque est minus odiosa, quia non tangit statum beneficiorum, vel Ecclesiarum.

26.º Quibus praenotatis quaerendum est a quo fieri valeant istae uniones, quae causae requirantur, quaeque solemnitates a jure sint in iis complendis statutae. Porro hanc uniendi potestatem competere Summo Pontifici, et quidem quoad omnia beneficia, et omnes Ecclesias nemo poterit inficiari ex plenaria et amplissima potestate, quam habet in administratione rerum ad Ecclesiam universam pertinentium, et Ecclesiae ejusdem ordinationem. Atque in usu hujus potestatis nos nihil aliud respicere debemus nisi ejus voluntatem, cum nulla possit haberi ratio sive causae, sive solemnitatis. Episcopi quoque, ceterique Praelati jurisdictione quasi-episcopali gaudentes possunt ex jure communi procedere ad unionem beneficiorum, prout constare demonstrant Doctores ex *cap. 8º de excessib. praelator.* At potestas haec coercetur istis limitibus, ut nempe valeant ista unire beneficia, quae in eorum Dioecesi sunt, dummodo non sint ab eorum jurisdictione exempta, eamque unionem facere possint perpetuam et citra praejudicium sive auctoritatis papalis, sive eorum vel qui eo beneficio aut Paroecia investiti sunt, vel ad illa quomodocumque jus habent. Quae limitationes ra-

tionabiles omnino sunt: primo enim excipiuntur beneficia exempta, cum Episcopi ordinationi non subsint, quae alterius potestati regenda reservantur, prout Doctores unanimiter sentiunt. Citra praejudicium vero auctoritatis papalis et eorum, qui ad talia beneficia vel jus actu habent, vel habituri sunt, debet fieri unio: nam neque possessores actuales turbandi sunt de possessione, vel praejudicandum est juri reservationis pontificiae; aut demum illis, qui Rescripta Apostolica obtinuerunt, ut aliquando haec beneficia habituri sint, tum per gratias expectativas, tum per concessionem coadjutoriae. Quod importat has uniones locum habere, postquam illae gratiae pontificiae verificatae sunt, et affectio expleta; unde beneficium perpetuo reservatum Papae alteri uniri per Episcopum nequit. Et denique haec unio debet fieri in perpetuum, cum hic non sit favor personae, sed causae; et, ut dictum est, uniones temporanae obstant regulae de vetita beneficiorum pluralitate. A canonibus tamen aliae limitationes propositae sunt: namque — (a) nequeunt Episcopi unire beneficia unius Dioecesis cum beneficiis alterius Dioecesis ex Concilio Tridentino *cap. 3º sess. 14.ª* — (b) Nec possunt unire beneficia liberae collationis cum beneficiis juris-patronatus, ut illa istis accedant, atque sub jure patronatus constituentur, ex Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 9 § Insuper de Reform.* Permittitur autem ex sensu contrario unio, si beneficium juris patronatus evadat liberae collationis. —

(c) Beneficia curata nequeunt uniri Monasteriis quibuscumque, abbatiis, dignitatibus, praebendis alicujus Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus et militiis ex Concilio Tridentino *sess. 24 cap. 13 de reform.*: quinimo nec converti possunt in simplicia, etiam assignata Vicario perpetuo congrua fructuum portione, prout edicitur a Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 16° de reform.* — (d) Nec valent Episcopi beneficia unire mensae suae etiam de Capituli consensu, aut mensae Capituli, prout ex *Clementin. 2^a, et ex Glossa ibi v. capitulo de rebus Ecclesiae alienand. vel non;* secus si unio fiat Canonicorum praebendis distributive sumptis, ut esse decisum a S. Congregatione docet Pignatelli *tom. 1° cons. 108 num. 2°*. Praeter potestatem vero Episcopis concessam a Concilio Tridentino *sess. 7^a cap. 6° de reform.*, quae temporanea fuit, alia quoque eis tributa est permanens ex *cap. 7° sess. 7*, nempe ut beneficia curata unita Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut locis piis quibuscumque singulis annis visitent. Datur deinde licentia Episcopis tamquam Apostolicae Sedis delegatis a Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 5°*, ut in casibus a jure permissis possint unire beneficia quoque curata, etsi ea reservata sint, vel aliter affecta quomodocumque. Demum ex Concilio Tridentino *sess. 23 cap. 18°* Episcopis conceditur, ut Seminariis possint unire beneficia simplicia etiam antequam vacent, dum-

modo id fiat absque praejudicio cultus divini, vel eorum, qui ea obtinent. At advertenda sunt verba Benedicti XIII in Constitutione « *Credita nobis* » relata in Appendice ad Concilium Romanum *ordine 27^a*, nempe ista beneficia tunc posse uniri cum per *taxam* illam, de qua loquitur Concilium, non potest necessitatibus sufficienter provideri per verba « *tunc, et in eo casu, ac in subsidium tantum.* » Videatur de hac re Benedictus XIV in *Sin. Dioeces. lib. 9 cap. 7° per totum*, ubi advertitur quoque *num.° 2°*, ut istae uniones fiant cum consilio quatuor Seminarii Deputatorum, quod requiritur *pro forma substantiali*, sine qua est unio invalida, et probatur resolutione S. Congregationis Concilii ab eodem allegata. Ad Capitulum cathedralis Ecclesiae transire hanc uniendi facultatem sede vacante arguunt Doctores ex eo, quod talis potestas sit jurisdictionis necessariae, non autem voluntariae. Ad quam porro unionem faciendam plura requiruntur, nempe — (α) *justa causa*, sine qua erit unio *ipso jure* nulla, quia deficit potestas. Justa vero causa est vel necessitas, aut utilitas Ecclesiae ex *cap. 33 h. t.°* — (β) Ut praecedat aliqua causae cognitio ex *Clementin. 2^a de rebus Eccles. alienand. vel non*, secus erit subreptitia: — (γ) ut ii vocentur, quorum interest, et in quorum praejudicium vergere unio potest ex *reg.^a juris 29 in VI°*, et si beneficium est subjectum juripatronatus, requiritur consensus patroni ex Concilio Tridentino *sess. 24^a cap. 15°*: — (δ) de-

*si patronus, vel alius, aliter communi non
ad necessarium.
Sane si beneficium, quod est subreptitium, per
patronum vel alium, aliter communi non*

num ut habeatur consensus Capituli cathedralis Ecclesiae ex *Clementin. 2^a de rebus Eccles. alienand. vel non*; secus est nulla, prout firmatur decretis S. Congregat. Concilii in *Causa Civitatis Castellii diei 8 Augusti 1615*, et *Aquilana diei 14 Octobris 1594*. Qui consensus si irrationabiliter non praestatur a Capitulo, poterit per Romanum Pontificem aut urgeri, aut suppleri. Eaedem causae ac solemnitates juris requiruntur ad dissolvendam unionem factam, quemadmodum iidem Superiores ecclesiastici sunt, qui dissolvunt.

27.^o Divisio tunc dicitur fieri, cum ex uno beneficio, vel parochia, aut superiori cathedrali Ecclesia, duae, vel plures constituuntur. Ex hac divisione sequitur, quod ea completa, cum tituli duplicentur, haberi quoque debent diversi Rectores, vel Beneficiati, aut Parochi, sive Episcopi. Unica porro causa justa divisionis est, quod, nisi illa interveniat, obligationibus beneficio adnexis satisfieri nequit. Ex qua ratione hodie in pluribus regionibus catholicis, in quibus hierarchia ecclesiastica constituta est, dividuntur Episcopatus a Summo Pontifice, et novae Provinciae ecclesiasticae instituuntur erectione Sedum Episcopaliū ad honorem, et dignitatem Metropoleos. Haec divisio fieri a jure permittitur Episcopis in beneficiis quoque parochialibus, juxta *cap. 3 de Ecclesiis aedificandis* innovatum a Concilio Tridentino *sess. 21 cap. 4^o de reform.*, dummodo praeter causam adhibeantur quoque solemnitates a jure requisitae

pro alienationibus. Qua super re videatur Fagnanus in Commentariis ad *cap. 3 de Ecclesiis aedif.* Quia vero plures quaestiones obveniunt etiam in foro ecclesiastico circa interpretationem et applicationem praedictae Constitutionis Concilii Tridentini; hinc non abs re erit nonnulla de ejus sensu ac recepto modo a S. Congregatione Concilii notare.—Considerat Concilium Tridentinum in eo capite duos casus, nempe numerositatem populi, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo; deinde locorum distantiam, seu difficultatem, ob quam parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt. In primo casu Episcopis etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegatis facultatem dat cogendi Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. De hac Coadjutorum Constitutione sic loquitur Innocentius XIII in Bulla « *Apostolici ministerii* » quam Benedictus XIII observandam edixit in Concilio Romano anni 1725, prout notatum est *lib. 1^o tit.° XXVIII*. « Quoties » itaque in aliis parochialibus Ecclesiis, quae, ut » praefertur, unitae non sint, oportuerit ex aliqua » justa causa provideri per Coadjutores Parochorum, aut per Vicarios temporarios; curae erit » Episcopis, pro data sibi a Trident. Synodo po- » testate partem fructuum, praedictis Coadjuto-

» ribus, aut Vicariis assignandam, determinare in
 » ea quantitate, quae pro suo prudenti arbitrio,
 » et conscientia conveniens videbitur, ratione vi-
 » delicet habita reddituum, et emolumentorum
 » Ecclesiae parochialis, in qua deputati fuerint,
 » nec non inspectis conditionibus loci, numero
 » animarum, qualitate laboris, et quantitate im-
 » pensarum, quas commissi officii necessitas postu-
 » laverit. Quod si Parochi ab Episcopis moniti,
 » congruo iisdem termino praefixo, Coadjutores,
 » sive Vicarios temporarios, quoties opus fuerit,
 » assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi eos,
 » quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate
 » propria deputare cum assignatione antedictae
 » portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam
 » praedicti Coadjutores, aut Vicarii temporarii a
 » Parochis nominati, vel assumpti fuerint, eorum
 » de idoneitate Episcopis constare per examen de-
 » beat, antequam ad exercitium admittantur; nec
 » satis sit, quod ad confessiones audiendas antea
 » fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus
 » ad curam animarum recte exercendam oppor-
 » tunis praediti noscantur. Quibus si careant, nec
 » Parochi deinde intra alium similem terminum,
 » ab Episcopis praefigendum, alios vere idoneos
 » nominaverint; tunc pariter ad ipsos Episcopos
 » libere spectet deputatio cum dicta congruae as-
 » signatione; nec ulla Parochorum contradictio,
 » aut exemptio, aut appellatio, aut cujuscumque
 » iudicis inhibitiō executionem deputationis, et as-

nummum Coadjutorem et congrua designari ab Episc.

» signationis certae partis fructuum in casibus
 » praemissis suspendere possit, itemque non ob-
 » stante qualibet contraria consuetudine etiam im-
 » memorabili. » Ex quo textu sequentia arguun-
 » tur, nempe hos Coadjutores poni debere, vel as-
 » sumi a Parochis, ad quos proinde spectat eorum
 » designatio. Hoc autem intelligitur tantum si Coad-
 » jutores, seu Vicarii ponantur in simili casu; nam
 » si Vicarius ponitur Parocho ob suam culpam,
 » nempe quia suspensus est ex informata conscientia,
 » tunc Vicarii nominatio spectat ad Episcopum,
 » prout ex responso S. Congregationis Concilii in
 » causa Burgi S. Domnini *diei 4 Maii 1737* constat.
 » Ab hac antiqua observantia recessum est in Gallia,
 » aliisque finitimis regionibus, in quibus Coadju-
 » tores Parochorum directe nominantur, et remo-
 » ventur ab Episcopis etiam inauditis Parochis. Sed
 » hoc dependet a speciali modo administrationis il-
 » larum Dioecesium, et ex conditione Ministrorum
 » sacrorum a temporibus imposita, nempe quod
 » Episcopi habeant exclusivum onus providendi Clero
 » titulum ordinationis, et propriis expensis eos alendi
 » donec ordinatos provideant de aliquo munere. Sed
 » quod ex longa consuetudine alicubi licet, tacente
 » S. Sede, hoc non est in aliis locis noviter contra
 » canones inducendum. Quae tamen designatio debet
 » notificari Episcopo, et de eorum idoneitate Epi-
 » scopis per examen constare debet, antequam ad
 » exercitium admittantur. Neque ab hoc examine
 » valent se dispensare, si jam ad confessiones au-

diendas fuerint approbati, nisi censeantur praediti aliis qualitatibus ad curam animarum necessariis, et hoc Episcopis constare debet. Et si ab Episcopo approbati non fuerint, tunc alii debent a Parochis nominari etiam intra terminum ab Episcopis praefigendum; quo elapso, si idoneos non deputaverint, tunc ad Episcopos libere spectabit eorum deputatio. Ex quibus pone sequitur Episcopum non posse absque rationabili causa denegare Coadjutori approbationem. Ad Episcopum pariter spectat determinare numerum Coadjutorum, quot sufficiant ad Sacramenta ministranda, et cultum divinum celebrandum, qui a Parochis proponantur. Potest autem esse, imo quandoque requiritur, quod isti Coadjutores suum ministerium exerceant in alia Capella, quam sit Ecclesia parochialis, et tunc ista Capella erit *vere succursalis*. Coadjutorum autem istorum munus, et potestas est administratio omnium Sacramentorum; et ex ipsa generali deputatione hanc facultatem sortiuntur, nisi aliqua restrictio expresse facta sit a Parocho, qui utique valet sui delegati coercere facultatem. Imo, quoniam haec deputatio est ad universitatem causarum potest Coadjutor quoque subdelegare quoad aliquem actum, puta adsistentiam matrimonio. Episcopi pariter curabunt, determinare istis Coadjutoribus partem fructuum assignandam, omnibus supra dictis inspectis. Cum vero istorum Coadjutorum positio eadem sit ac aliorum Vicariorum temporaneorum, de quibus egimus *lib. 1^o tit. XXVIII*,

hinc ex iisdem juridicis rationibus teneo absque justa causa non posse hos removeri neque ab Episcopo, neque a Parocho, et sic remotos posse recursum facere ad S. Congregationem, quae saepe eos audivit cum effectu.

28.^o Quoad alterum casum, nempe ob locorum distantiam, vel difficultatem, clara videntur esse verba Concilii Tridentini, scilicet quod novae Paroeciae etiam invitis Rectoribus ab Episcopis constitui possint, provisus Sacerdotibus, qui Ecclesiis noviter erectis erunt praeficiendi, de congrua portione. Equidem, ut advertit Secretarius S. Congregationis Concilii in Folio causae *Massanen. et Popul. Dismembrat. diei 9 Maii 1840*, juxta communem calculum Doctorum ex solo parochianorum numero, etsi exorbitanter sit auctus in eodem loco Ecclesiae parochialis, ad subsidiarium dismembrationis remedium non deveniri, cum succurri possit semper per unius, vel plurium Coadjutorum deputationem, idque ex mente Tridentini Concilii *cit.^a sess.^o* Sed hoc ad summum demonstrat id in casu non licere Episcopis; S. Congregatio enim non semel ex sola numerositate populi plenam dismembrationem, attendendo ad alias facti circumstantias, permisit; sicut contigit in *Verulana diei 22 Maii 1784*, cum in Civitate Frusinonis duae essent Paroeciae, et septem millia parochianorum, novam in commodiori urbis loco erigendi licentiam concessit. At distantia, sive difficultas locorum non ambigitur, quod possit esse causa dismembrationis;

quae quatenus esse debeat, cum in jure statutum non sit, iudicis arbitrio relinquitur, ut tenuit *Rota Decis. 484 num. 2° § 1° Recentior.*, et proinde Episcopi hac super re procedere valent, etiam invidis Rectoribus, vel patronis quando Parochia iuripatronatus subijcitur. Qui etsi debeant rogari et audiri, ut par est, attamen si eorum dissensus minime justus et rationalis deprehenditur, non idcirco eorum oppositio animarum bono, divinoque cultui praehabenda est, prout pluries S. Congregatio Concilii demonstravit suis decisionibus, quibus decreta episcopalia hac super re edita firmavit. Aliquando tamen istae causae in prima instantia proponuntur apud S. Congregationem Concilii, a qua exposcitur decisio faciendae divisionis parochialium Ecclesiarum, et tunc nonnumquam iudicavit, antequam ad Paroeciae dismembrationem, novaeque Paroeciae erectionem procederet, explorari debere, an recte suppleri possit per Vicarium perpetuum in Ecclesia aliqua particulari instituendum, sicut in *Lunen. Sarzanen. Dismembr. Paroec. diei 27 Septembr. 1732*, cum de venia quamdam dismembrandi Paroeciam, novamque erigendi rogaretur, in antecessum inquiri iussit, an vicaria perpetua constitui posset; et quamvis populus villae Meridii pro Paroecia dismembranda enixius instaret, et dotem, aliaque necessaria se suppeditaturum spondidisset, S. Congregatio petitam dismembrationem denegavit, et constituit erigendam esse perpetuam vicariam cum assignatione congruae a com-

munitate Meridii solvenda. Et acriter postea Meridienibus contendentibus, reintegrata quaestione de plena veteris Parochiae sectione, S. Congregatio decisionem confirmavit juxta modum, nempe ut Vicarius perpetuus eligeretur per concursum, et Episcopus ei assignaret emolumenta stolae, reliquis redditibus Parocho reservatis, *die 21 Januar. 1733*. Quae declaratio S. Congregationis Concilii fortasse movit S. Congregationem Episc. et Regular. in *Carpen. Dismembr. Paroec. diei 22 Septembr. 1855*, ut in simillimo casu cum in consultatione exemplum memoratae causae *Lunensis Sarzanensis* allegatum fuisset, eandem declarationem ederet; etenim decrevit loco Paroeciae independentis ac liberae esse locum *erectioni vicariae perpetuae, postquam Ordinarius docuisset de congrua dotatione*. — At plerumque decisiones dedit S. Congregatio pro divisione plena Paroeciae. In hoc autem casu, ut omni ex parte universae rei consultum sit, illud ab Episcopis est efficiendum, ut congrua dos tam pro Parochis, quam Ecclesiae parochialis tuitione sit in promptu, ac praesertim pro sacris suppellectilibus, et lampadis alimento ante SS. Eucharistiae Sacramentum, prout S. Congregatio Concilii expresse requisivit in *Milevitana Dismembr. diei 4 Febr. 1843, et Camerinensi diei 2 Decembr. ejusdem anni*. — Quod attinet vero ad hanc provisionem, hic est modus providendi; nempe ut competens portio assignetur arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque

Salvator hanc ...
... ..
... ..
... ..

pertinentibus, ut habebatur in *cap. 3° de aedificand. Ecclesiis, et ex cit.° cap.° Concilii Tridentini*. At si non sint isti fructus exuberantes ex primaevo beneficio, tunc idem Concilium Tridentinum eo loco statuit, ut Episcopus possit compellere populum ad ea subministranda, quae sufficiant ad vitam Parochi de novo deputandi sustentandam. « Sin » autem, ut docet Fagnanus in commentariis ad » hoc caput tertium *num. 6°*, paupertas parochia- » nos excuset, cogat Episcopus Abbatem, vel Prae- » positum, cui Parochia illa in temporalibus subest, » ad suppeditanda vitae necessaria Sacerdoti insti- » tuendo. Quod si et illos excuset inopia, provi- » deat Episcopus ex mensa sua. » Et hoc comprobatur quoque ex declaratione S. Congregationis Concilii lata sub iis terminis: « Censuit S. Congregatio in terminis Concilii assignationem esse » faciendam ex fructibus ad Ecclesiam matricem » pertinentibus; et si hi non sufficiant, tunc demum » populum compellendum esse; quod si nec ipse » ob paupertatem compelli possit, Episcopum de » suo dare debere. » — Praecitatum *caput 3 de aedificand. Eccles.* Rectori Ecclesiae matricis reservatur ius praesentandi Sacerdotem in nova Ecclesia instituendum, et dictae Ecclesiae matricis competentem honorem in nova Ecclesia pro facultate loci. Et quidem, quod pertinet ad ius hoc patronatus, dicendum est, hoc matri Ecclesiae competere, si haec aliquid de suo contulerit in novae Ecclesiae dotatione prout erat in casu contemplato in *d.°*

cap. 3°; secus si nihil contulerit, ut esse decisum a S. Congregatione Concilii refert Fagnanus in *Comment. ad d.° cap. 3 de aedif. Eccles. num.° 39*: nempe « S. Congregationem declarasse, matricem » Ecclesiam non acquirere ius patronatus in Ecclesia fundata intra suos limites, nisi de suo » aliquid contulerit, non obstante quod oblationes » futurae dicantur esse loco dotis. » Quod autem respicit competentem honorem, explicatur id ab eodem Fagnano *num.° 8*, ut sit vel reservatio census in signum veteris subjectionis (unde est quod Ecclesia prima dicitur *matricis*, et noviter constructa *filialis*); vel quod illi reservetur fons baptismalis, vel hujusmodi. Unde est quod ex talibus signis optime et plene probatur aliquam Ecclesiam esse matricem, prout in causa *Ariminensi diei 28 Julii 1731*. « Quum inter duas Ecclesias haec » esset ratio, ut in altera esset fons baptismalis, » et infantes suos suscipiendi baptismi gratia ad » eam deferre parochiani consuevissent; alterius » vero Parochus ab illius Archipresbytero Oleum » Sacrum, quo aegrotantes in extremo inunguntur, » petere solitus esset, de illius matricitate constare » S. Congregatio respondit. » — De dismembratione et suppressione beneficiorum nunc loquendum est. Dismembratio beneficii est quando aliqua pars reddituum, vel aliqua jura ei tolluntur, et alii beneficio, vel ministerio applicantur, remanente beneficio penes suum ordinarium Rectorem. Hinc dismembratio nec multiplicat, nec extinguit titulos

beneficiorum. Haec est generaliter a jure prohibita, quia procedit contra regulam canonicam, quae est rubrica *tit. XII*: « Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. » Ex justa tamen causa hanc fieri jura permittunt, ut communiter censent Doctores, Pirhing hic *num. 222*; Reiffenstuel *tit. XII num.º 26*, Schmalzgrueber *hic num.º 201*, aliique: et justa causa est moralis necessitas, et evidens Ecclesiae utilitas, cum alias opportune provideri nequit.— Et solemnitates quoque debent intervenire, inter quas est vocatio, et consensus Rectoris beneficii dismembrandi, patronorum, si patronatum, et parochianorum, si beneficium est parochiale, et consentire quoque debet Capitulum cathedrale, ut iidem Doctores notant. Non potest autem ab Episcopis fieri dismembratio fructuum beneficii parochialis, ut uniantur isti beneficio simplici, prout pluries decisit S. Congregatio Concilii, et refertur a Garcia *de Beneficiis part. 12 cap. 2º num.º 88*, et memorat Reiffenstuel *loc. cit.º num.º 31*.— Contingere haec dismembratio potest in Paroeciis alio modo, ut nempe pars territorii, quae ad unam pertinebat Paroeciam, alteri tribuatur: cumque haec non minus sit dismembratio, etsi in jure odiosa, tamen ex justa causa ab Episcopis fieri posse nemo ambigit. Justa vero causa in facto esse debet spiritualis cura, quae illius partis meliori et utiliori modo haberi potest, si fiat dismembratio, quae neglecta maneret, si ita non provideretur. Quin imo ex superius relato *cap. 4º*

sess. 21 Concilii Tridentini, hac existente causa, puto dismembrationem fieri posse, si post interpellationem Rectores quoque essent invitati; quia interest, quod illius partis gregis suprema cura habeatur.— Suppressio demum est totalis beneficii extinctio. Haec suppressio locum habet praecipue in beneficiis collegiatis, et est injure odiosa ac prohibita *argum. cap. 12 de Constitution.*, quia de se minuit divinum cultum. At ex causa fieri posse auctor est Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 15 de reform.* Atqui has ex gravi causa factas suppressiones ab Episcopis, nempe pro decenti Canonico gradu, pro loci, et personarum qualitate S. Congregatio Concilii pluries probavit. Vera autem suppressio in indicato casu est, quando Ecclesiae sunt *numeratae*. Si enim Ecclesia *non est numerata*, tunc, ut indicatum est initio istius tituli, non verificatur suppressio; sed tot nominantur Canonici, modo majores numero, modo minores, prout abundant redditus, vel diminuuntur.— Aliquando suppressio petitur a patronis beneficiorum, sed Congregatio Concilii consuevit respondere, prout respondit in *Lauretana diei 28 Julii 1838*: « Patronis cujusdam beneficii petentibus, ut nominatio suspenderetur, et pecunia pro Missarum onere ferendo necessaria ad augendam Parochi congruam applicaretur, quod vero superesset, sibi ipsis utpote indigentibus daretur, S. Congregatio non esse annuendum precibus, sed nominandum Capellanum, reservata annua praesta-

» tione in favorem patronorum censuit. » Quod in casu suspensionis nominationis beneficii definit, id in casu petita suppressionis consuevit S. Congregatio respondere. At hodiernis temporibus occasione legis a Gubernio italico latae *die 15 Augusti anni 1867 « Della liquidazione dell' asse ecclesiastico »* S. Poenitentiaria in pluribus casibus non modo suspensionem nominationis, sed in aliquibus etiam suppressionem beneficiorum indulsit, requirens, ut detur Ordinario summa, ex cujus fructibus annuis habeantur necessaria ad onera annexa beneficio explenda. Hoc autem conceditur, quando moraliter impossibile est, ut reintegretur dos illius beneficii. At si haec reintegratio est possibilis, tunc providendo necessitatibus patronorum aliqua elargita summa, et expetita renuntiatione juris patronatus, fit locus suspensioni provisionis beneficii etiam reductis temporanee oneribus, usque dum antiqua dos reintegretur.

TITULUS VI.

infirmi habitatio
membrum alicuius
non aegrotans qui tamen infirmitate sanabilis
 De Clerico aegrotante, vel debilitato.

1.º In jure distinguitur Clericus aegrotus a Clerico aegrotante; nam Clericus aegrotus dicitur ille, qui acuta infirmitate affligitur, tamen sanabilis: e contra Clericus aegrotans ille est, qui patitur infirmitatem cronicam et insanabilem. In hoc titulo non est sermo de Clerico infirmo seu aegroto, sed de Clerico aegrotante. De Clerico enim infirmo actum est *tit.º IV*, nempe cum sermo esset de adsistentia non praestita choro ex infirmitate: atque de hoc Clerico dictum est, eum, si choro solitus erat interesse, lucrari non modo praebendam, sed etiam distributiones, quin teneatur per substitutum deservire *ex cap. unic. De Cleric. non resident. in VIº*, et tradit Fagnanus in *Commentariis ad cap. 2º de concess. praebend. num. 73* fuisse

pluries decisum a S. Congregatione Concilii. Quin imo idem Fagnanus in *cap. 1° t. 1° num.° 28, et seqq.* refert fuisse decisum a S. Congregatione, quod hic Clericus participat de fallentiis aliorum, quod tamen, ut advertimus *tit.° IV*, verum est, si statuta Capituli sinant. Quod verificatur etiam in Capellaniis circa onera Missarum ex constitutione *cap. XV de praebend.* Ad cujus intelligentiam sciendum est hic agi de Sacerdote, qui ex obligatione Capellaniae tenetur quotidie celebrare, et Missam applicare. Quaeritur ergo de isto — 1° an teneatur Missam applicare per alium, si infirmitate temporanea praeventus nequeat celebrare per se? — 2° An eadem obligatio sit, si ob aliquam infirmitatem cronicam factus esset omnino impotens ad celebrandum? — 3° Quid censendum sit si Missam ipse non celebret ex causa honestatis et debitae devotionis, et quomodo haec causa devotionis interpretanda sit? — Ad quae sic ex allegandis juribus respondetur. Et imprimis advertendum hic agi de Capellano, qui tenetur per seipsum celebrare; nam si non tenetur ex textu foundationis celebrare per se ipsum, et ex eodem textu potest supplere per alium, tunc quando ipse nequit per se id praestare, per alium satisfacere tenetur, ut declaravit S. Congregatio Concilii *die 18 Septembris 1683*, quam mox referemus. Quo posito ad primum inter severiores, vel mitiores Auctorum sententias retinenda est aequior, quam amplexa est S. Congregatio Concilii in *Romana*

celebrat. Missarum diei 4 Junii 1689 et diei 17 Novembr. 1695; nempe si infirmitas perduret quindecim tantum dierum spatio; nam hoc tempore non tenetur per alium supplere omissas Missarum celebrationes. — Ad secundum dicendum est cum Giraldi in *Commentariis ad d.™ cap. XI De Praebendis oper. cit.° part. 1ª sect. 366*: « Si Capellanus » ob aliquam infirmitatem redditus esset omnino » impotens, et aliunde non haberet unde viveret, » ac ordinatus fuisset ad titulum Capellaniae, tunc, » durante impotentia, neque per alium teneri satisfacere declaravit S. Congregatio in *Pistoriens. » diei 5 Februarii 1650, ut in lib. Decretor. 19, » pag. 24*; quemadmodum ex iisdem circumstantiis exemit similem Capellanum in *Patavina diei » 24 April. anni 1655, dicto libr. 19, pag. 453.* — Quod demum attinet ad tertium, haec quaestio terminata est decisione S. Congregationis Concilii in causa Collensi decisa *die 18 Septembr. 1683*, cujus textus legitur apud Benedictum XIV *De sacrific. Missae lib.° 3° cap. 3° num.° 7°*, ibi: « Modernus Episcopus Collen., Dioecesim visitando, » comperiit non sine maximo conscientiarum periculo plures irrepsisse abusus in adimplendo » mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt. » Ad eos ergo tollendos discutiendum ac resolvendum videtur: — Primo, an Sacerdotes obligati » ratione beneficii, capellaniae, legati, aut stipendii » celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint » aliquando a celebratione vacare; et quatenus af-

» firmative: — Secundo, quando et quoties a dicta
 » celebratione vacare possint. — Tertio, an diebus
 » licitae vacationis possint Missam pro se ipsis,
 » vel aliis, praeterquam pro Fundatoribus cele-
 » brare, et quatenus affirmative: — Quarto, an pro
 » aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi
 » celebratione recipere. — Quinto, an illis diebus,
 » quibus licite vacant a celebratione, teneantur
 » Missam ab aliis celebrari facere juxta intentio-
 » nem Fundatorum. — Sexto, an Sacerdotes ut
 » supra obligati celebrare Missam quotidie, absque
 » tamen onere celebrandi per se ipsos, possint ali-
 » quando a celebratione vacare. — *Ad superiora*
 » *dubia ita responsum est:* — Ad primum affirma-
 » tive, concurrente aliqua legitima causa. — Ad
 » secundum, ut ad proximum. — Ad tertium, *ne-*
 » *gative.* — Ad quartum, *negative.* — Ad quintum,
 » distulit resolutionem. — Ad sextum, *negative.*» —
 Ex quo pariter intelligitur quid veniat nomine
 honestatis et debitae devotionis, nempe, quod Ca-
 pellanus Missae celebrationem aliquibus diebus in-
 termittat, sive quia conscius se noscens peccati
 mortalis reum copiam confessarii non habet, aut
 quia spiritus fervore deficit; quae raro contingere
 possunt, quin imputentur malitiae et habitui malo
 Capellani, et proinde non constituent causam rati-
 onabilem, de qua in dicto decreto S. Congrega-
 tionis. In beneficiis autem parochialibus, etiamsi
 morbus sit temporaneus, Parochi tenentur sibi
 eligere Coadjutorem, ab Ordinario tamen loci pro-

bandum, prout eruitur ex *cap. 1° sess. 24* Con-
 cillii Tridentini; vel si ipsi cessent, Ordinarius ipse
 loci constituet, cui dabitur emolumentum pro la-
 bore, reliquis fructibus Parocho reservatis: et jure
 quidem, cum cura spiritualis populi intermitteri non
 valeat.

2.° Quod si morbus sit perpetuus, vel natu-
 raliter incurabilis, tunc Beneficiatis, Parochis, ali-
 isque majoribus Praelatis non praescribitur ut
 cedant beneficio, ut cavetur *cap. 5° h. t.°*, sed
 providetur per Coadjutorem cum assignatione con-
 gruae, prout pro Beneficiatis quoque minoribus
 constituitur *cap. 3°, 4° et ult.° h. t.°* Causa autem
 est semper haec, quod titularis nequit perpetuo
 suis obligationibus beneficalibus vel in totum, vel
 pro parte satisfacere. — Coadjutoriae autem sunt
 aliae *temporaneae*, aliae *perpetuae*; seu aliae *revo-*
cabiles, aliae *irrevocabiles*. Coadjutores perpetui vel
 irrevocabiles habent *spem vel jus* successionis in
 beneficio, quo jure carent revocabiles: proinde illi
 dicuntur *intitulati*, non vero alteri. Cum porro
 constitutio Coadjutoris perpetui aequivaleat con-
 cessione beneficii; hinc patet hanc gratiam non
 posse concedi, nisi a Romano Pontifice, ut notat
 Benedictus XIV *de Synod. diaeces. lib. 13 cap. 10*,
 cum quibuscumque aliis Praelatis a jure inhibitum
 sit disponere de beneficiis nondum vacantibus ex
cap. 7 sess. 25 Concillii Tridentini coadjutorias
 has interdicente. Quod spectat vero ad Coadjutores
 temporaneos seu revocabiles, eos Episcopis, aliisque

Praelatis superioribus dat solummodo Pontifex; sunt enim causae majores, ut notatur in *cap. unic. h. t.º in VI.º* Imo, ut advertit Giraldi *op. cit.º part. 1ª sect. 413*, hodie non admittuntur neque illae exceptiones, quae eo in capite referuntur, sed constanter et absolute Sedes Apostolica ex se sola providet de Coadjutore etiam sine consilio et assensu Capituli. In caeteris autem beneficiis minoribus illi dant, qui in iisdem habent jus instituendi et destituendi, prout sunt Episcopi, vel Praelati exempti, quemadmodum Doctores unanimiter docent.

3.º Coadjutor porro dari potest vel Beneficiato prorsus inhabili, et tunc omnia officia exercere valet, quae ipsi Beneficiato explenda incumbabant; aut datur Beneficiato seni, vel debilitato, sed non prorsus inhabili, et tunc Coadjutor ea tantum agere valet, quae Coadjutus vel non potest, vel non vult ipse complere. In genere autem omnes obligationes, quae impositae sunt Beneficiato, gravant quoque Coadjutorem. Cui congrua datur etiam de fructibus beneficii, ex *cap. 3º h. t.º*, et *cap. unic. § Praesenti eod. in VIº*, caeteris relictis Beneficiato. At quandoque evenit, ut fructus beneficii sufficientes non sint ad utriusque sustentationem; et tunc contra *Glossam finalem cap. 3 h. t.º* censent communiter Doctores apud Reiffenstuel *num.º 57 et 58 h. t.º* praefendum esse Beneficiatum, et Coadjutori providendum esse ab Episcopo alio modo, prout indicatur diversis textibus Concilii

Tridentini praesertim *cap. 4º, et cap. 6º sess. 21 de reform.*— Circa praerogativas autem, et honores Coadjutoris hoc principium tenendum est, quod passim tradunt Doctores apud Schmalzgrueber *h. t.º num.º 32*, nempe Coadjutorem, eo quod praesentat personam principalis, praecedere omnes, qui respectu ejus sunt inferioris ordinis: ultimum tamen locum habere inter pares, etsi Coadjutus, si praesens esset, primum locum occuparet, cum ceteris paribus in eodem gradu dignitatis semper clarior sit, qui propriis radiis fulget, quam qui alienis. Haec est vero diversitas inter Coadjutorem temporaneum et perpetuum, quod temporaneus cessat, quando Coadjutus quacumque ratione amittit titulum beneficii; perpetuus autem numquam amittit, sed potius si Coadjutus deperdit quacumque ratione titulum beneficii, hunc ipse consequitur vi antiquae concessionis, et incipit esse beneficii proprietarius, qui antea habebat spem, seu jus ad illud beneficium possidendum.

Judicium h. t.º art. 25. C.º de ref.º omnino laudandum, ac ad hoc si Coadjutor datur in Beneficiatum, non potest in Beneficiatum datur. Quae res sufficit ad art. 25 an.

mus definitionem, post Pontificem spectat ad Episcopum, in cujus Dioecesi Ecclesia, vel beneficium situm est ex *cap. 3 h. t.* Et hanc concedere potest Episcopus etsi nondum consecratus, dummodo administrationem suae Dioecesis legitime ceperit. Imo instituere potest quoque Vicarius generalis ex mandato generali ex sensu contrario *cap. fin. de officio Vicarii in VI.* quia est actus necessarius. Ob eandem rationem transit haec potestas in Capitulum, sede vacante, et ex hoc ad Vicarium capitularem ex *cap. 1 h. t. in VI.* Praelatis quoque inferioribus in Ecclesiis, et beneficiis plenissimo jure sibi subjectis competit institutio, cum sint vere Ordinarii. Caeteris autem Clericis id competere potest ex privilegio, praescriptione, vel ex lege foundationis ex *cap. 6 h. t.* Maxima autem est differentia inter Ordinarios locorum instituentes, et alios Clericos; quia Ordinarii non debent demonstrare titulum, unde hoc habeant, cum habere dicantur intentionem in jure fundatam; sed alii Clerici debent edocere titulum, vi cujus haec potestas illis competat. Iterum si institutio pertinet ad alium praeter Ordinarium, Clericus tamen instituendus Ordinario debet praesentari ex allegatis juribus, ut probet ejus idoneitatem. Controvertitur a Doctoribus, an venia concessa a *d. cap. 6 h. t.* fuerit adempta a Concilio Tridentino ex *cap. 12 sess. 14 de reform.*, ubi dicitur: « in casu » autem foundationis, aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori reserve-

TITULUS VII.

De Institutionibus.

1.° Institutio late sumpta est concessio canonica beneficii, qua scilicet alicui datur jus in re, et proprietatis in beneficio ipso; atque sic accepta duplex est, nempe libera, et necessaria. De libera jam egimus in titulo V, et vocatur collatio. Agimus hic de institutione necessaria, quae definitur « concessio Ecclesiae, vel beneficii vacantis facta ex auctoritate Episcopi, vel alterius personae ecclesisticae cuiusdam Clerico ad nominationem, vel praesentationem patroni. » Institutio demum alia est tituli collativa, alia authorizabilis, alia est realis et actualis, quae vocatur investitura, prout habet Glossa in C. Beneficium de Regul. Jur. in VI°, et de his tribus hoc titulo agendum est.

2.° Institutio haec tituli collativa, cujus dedi-

1. qui episcopi
2. qui auctoritate patris
3. qui auctoritate in sing. ecc.
4. quomodo
5. de investitura

1. 9 cap. 6
non dicitur in investitura sed in alio
probat institutionem praesentari auctoritate
quam in casu, ut si legimus de episcopo cuius auctoritate

» tur. » Et mihi apparet verior sententia Pirhing *t. 1.º num. 6º*, nempe quod advenerit derogatio, ac proinde post Concilium Tridentinum non posse in fundatione alteri inferiori reservari potestas instituendi quam Episcopo; quia in eo *cap. 12 sess. 14* non est sermo de institutione auctoritabili, quamvis nonnulli alterius sententiae Doctores id retineant, sed de collativa tituli, prout fert contextus; nec de dignoscenda idoneitate simpliciter, de his enim loquitur Concilium Tridentinum *sess. 7 cap. 13, et sess. 14 cap. 13*. Imo Fagnanus in *cap. 31 de elect. num. 31* fuisse decisum a S. Congregatione Concilii refert, ut non alteri reservetur collatio, nisi Episcopo. Hoc vero intelligitur de fundationibus post Concilium faciendis, cum antecedentium fundationum leges fuerint a Concilio conservatae; quod manifeste apparet ex *sess. 25 cap. 9º § Quod si*. Laici autem et mulieres, etsi religionem professae, nequeunt potestatem nancisci institutionis, nisi ex privilegio apostolico, quemadmodum unanimiter probant Doctores, attenda incapacitate eorum quasi-possidendi spiritualia jura.

3.º At nonnulla advertenda sunt tum circa personas instituendas, tum circa modum donandae institutionis. Et quod attinet ad personas, Episcopi nequeunt laicis concedere institutionem beneficiorum, cum sint inhabiles, bene vero Clericis, et nonnisi dignis ac idoneis ex *cap. 2º h. t.º* Dignitas porro haec, et idoneitas, ut expositum est *tit. XIV libri primi* desumitur ex requisitis qualitatibus

tum a jure communi, tum a lege fundatorum. Sed Episcopus instituens in praesentatis non requirit nisi qualitates a jure communi requisitas, quando aliae qualitates non exiguntur ex titulo fundationis, neque hac super re conventiones peculiares attendendae sunt, prout deciditur *cap. 5 h. t.º*, et *cap. 37 de praebend.* — Quoad numerum personarum instituendarum ab Episcopo pariter canones aliquid observandum constituunt. Circa Ecclesias numeratas non est verendum quod plures instituantur, cum hic numerus dependeat a Statutis Ecclesiarum, et postquam est completus, alii non habent titulum, quem assequantur. Ast in Ecclesiis non numeratis, seu receptitiis Episcopus posset in institutione excedere; et hinc *cap. 4º h. t.º* regula constituta est: « Statuimus, ut in Ecclesiis vestris, » ultra quam facultates earum Ecclesiarum sustineant, vobis non instituantur invitis. » Et jure quidem id a Canonicis, vel Collegio dependet, non simpliciter ab arbitrio Episcopi, quia Canonici in talibus Ecclesiis deservientes jus habent ad honestam sustentationem, quae non haberetur, si plures Canonici ab Episcopo instituerentur, quam qui earum facultatibus ali possunt; ad quod faciendum, praeter Episcopi voluntatem, requiritur quoque consensus Canoniorum: et quidem omnes et singuli consentire debent juxta notam regulam juris « quod » omnes tangit, ab omnibus et singulis probari » debet. » Praecisius tamen vetitum editum continetur hac super re in *cap. 1º h. t.º*, nempe « Non

*Episcopi potestatem non habent aliter institui nisi a Concilio
laicis non conceditur, nisi a Concilio, sed a Concilio
deinde a Concilio
Episcopi*

*Episcopi potestatem non habent aliter institui nisi a Concilio
laicis non conceditur, nisi a Concilio, sed a Concilio
deinde a Concilio
Episcopi*

» amplius suscipiantur in Monasterio Monachorum,
 » aut Clericorum, seu etiam puellarum, quam quot
 » se regere de bonis Ecclesiae absque penuria pos-
 » sint.» Hoc decretum praecisius vocatum est, quia,
 ut ex textu apparet, non permittit neque renun-
 tiationem ex parte Monachorum, vel puellarum. Cui
 accessit decretum Concilii Tridentini *sess. 25 cap. 3^o*
de Regular: « In Monasteriis et domibus tam viro-
 » rum, quam mulierum bona immobilia possidenti-
 » bus vel non possidentibus, is tantum numerus con-
 » stituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex
 » redditibus propriis Monasterii, vel ex consuetis
 » eleemosinis commode possit sustentari. » Accessit
 quoad Monasteria virorum decretum a S. Congrega-
 tione Concilii editum jussu Urbani VIII relatum in
 Constitutione ejusdem « *Cum saepe contingat* » *diei*
21 Jun. 1625; in quo prohibitum est Superioribus
 Regularibus augere Religiosorum numerum semel
 taxatum, et a S. Congregatione approbatum, nisi
 cum ejus licentia, etiam praetextu augmenti red-
 dituum sub poenis ipso facto incurrendis priva-
 tionis vocis activae et passivae etiam habilitatis;
 quod decretum est pro Italia, et insulis adjacenti-
 bus. Decreta haec sub iisdem poenis confirmata
 fuerunt ab Innocentio XII Constitutione « *Nuper* »
diei 23 Novembr. 1697, ab Innocentio XIII Con-
 stitutione « *Apostolici Ministerii* » *diei 13 Martii*
1723 pro Regnis Hispaniae, et a Benedicto XIII
 Constitutione « *In supremo* » *diei 23 Septembr.*
1724. Constitutio vero Pii V « *Circa* » *diei 29*

Maii 1566, idem servandum esse decrevit respectu
 Monialium etiam Regularibus subjectarum. Illarum
 autem numerus ex Constitutione Gregorii XIII
 « *Deo sacris* » *diei 30 December. 1572,* taxari de-
 debat ab Episcopo una cum Superiore Regulari.—
 Quoad modum vero institutionis concedendae est
 retinendum, quod, praevia praesentatione patroni,
 Ordinarius, sive alius instituens non potest id com-
 plere, nisi, recognita quoque idoneitate praesentati,
 edictum proponatur publicum, in quo intra compe-
 tentem et in eo expressum terminum peremptorium
 citentur omnes, quorum interest, ad comparandum,
 et deducendum ea, quae institutioni faciendae op-
 ponenda censuerint, prout ex *argum. cap. fin. de*
elect. in VI^o Doctores communiter exigunt: cujus
 edicti necessitatem et effectus iidem Doctores in-
 culcant et enumerant apud Schmalzgrueber *num. 35*
et seqq. — Circa tempus autem notandum est non
 esse hoc a jure statutum, prout id factum est in
 collatione; sed si nimis differatur, tunc praefigi
 potest a Superiore tempus, ut institutio donetur;
 quo tempore praeterlapso ex negligentia, Superior
 instituit. Imo posita praesentatione valet institutio
 concedi, etiamsi non sit elapsum tempus quatuor,
 vel sex mensium constitutum pro praesentatione
 patroni laici, vel ecclesiastici; succurrit enim ratio
 publicae utilitatis, ne beneficia longo tempore va-
 cent, et ex altera parte post praesentationem fa-
 ctam, et constituto quod ea proveniat a patrono pro-
 babiliter tali, vix est, quod ejusdem, aut alterius

*quod si non sit in iis locis ubi non sunt
 regulares, sed in locis ubi sunt
 regulares, ab Episcopo amittuntur
 regulares, ab Episcopo et Debitis*

patroni praejudicetur exigentiis et juribus, quemadmodum Doctores plures contra alios contendunt. Hoc autem ita intelligitur, ut si alius patronus reclamet, provisio censeatur nulla ab initio, eo vero non reclamante intra tempus utile, pro valida a principio habeatur, prout arguitur ex responso S. Congregationis Concilii in causa *Capellaniae diei 22 Septembr. 1877, et 26 Januarii 1878.* — Datae autem institutionis litterae expediuntur ad legitimam probationem quovis tempore habendam.

4.° Institutio authorizabilis est « participatio » jurisdictionis parochialis ad Sacramenta populo » administranda, ejusque curam agendam pastorem, et praecipue in foro conscientiae. » Unde statim intelligitur eam habere locum in beneficii curatis. Haec institutio, quando alia quoque tituli collativa reservatur Episcopo, fit uno eodemque actu. Sed cum haec conceditur Clericis Episcopo inferioribus, tunc reservatur Ordinario loci; atque est necessaria, cum nemo possit participationem concedere pastoralis auctoritatis, nisi Ordinarius. Haec proinde institutio competit non modo Episcopo, sed et Vicario generali; imo Capitulo, Sede vacante, et Praelatis inferioribus jurisdictionem quasi-episcopalem obtinentibus. Et post Concilium Tridentinum ex jam dicto *cap. 13 sess. 7^{ae}* non habetur praetextus cujusvis privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore praescriptae, quae valeat hanc tollere Ordinariis institutionem. Imo, ut Doctores docent, haec praescriptio

*haec institutio respectu collationis ad Episcopum
et Vicarium generalem*

non modo consuetudines existentes tollit, sed et in futurum quascumque consuetudines introducendas impedit velut irrationabiles.

5.° Institutio demum realis, vel missio in possessionem venit. Unumquemque de beneficio, aut Ecclesia quomodocumque provisum canones jusserunt, ut ad beneficii ejusdem possessionem manu duceretur ab Auctoritate ecclesiastica; et haec manu ductio est missio in possessionem. Haec, inquam, a laicis concedi non potest, saltem nomine proprio, quia hoc jus inter spiritualia recensetur ex *cap. 9 de offic. Archidiacon.* Insuper, etsi quis titulum habeat, non tamen per se capere potest beneficii possessionem, et haec a canonibus vocatur temeritas; atque si cum violentia fiat, in poenam istius temeritatis hic se intrudens in possessionem amittit ipso jure et facto titulum beneficii, et omne jus, quod ei in illo competebat ex *cap. 18 de praebend. in VI.* Quod si violentia non intervenerit applicari nequit haec poenalis dispositio, sed erit locus poenae arbitrariae. Haec autem possessio datur ab Episcopo, vel ejus Officiali, Decanis, vel aliis Commissariis in beneficiis parochialibus, vel inferioribus; in beneficiis vero collegiatis plerumque Collegae in possessionem mittunt. Actus vero adhiberi soliti in talibus possessionibus diversi prorsus sunt, ut consuetudo docet, ac antiqua praxis. Sicut certum est posse possessionem apprehendi per procuratorem habentem speciale mandatum, ut eadem praxis servat. Solummodo advertendum

*Haec institutio fit potestatis, utitur collatione
et non potestatis, utitur collatione sed non ut detur
idem beneficii collationem ut
procurator pro procuratore*

est, quod si alius retineat possessionem beneficii, tunc ante alterius immissionem in possessionem ille debet citari ex *cap. 28 de praebend. in VI°*, et cognitio summaria fit de collatione ei facta, qui in possessionem beneficii mittendus est, atque sententia definitiva illum expellit, et hunc intrare permittit. Effectus demum istius possessionis multiplex est; namque primo fructuum perceptionem lucrari facit, et dat fundamentum, ac initium praescriptionis. Singularia autem emolumenta, seu privilegia praescriptionis habentur in Regulis XXXV et XXXVI Cancellariae Apostolicae. — Regula XXXV porro iis verbis exprimitur: « Item S. D. N. » ut improbabilis exquirentium motus reprimatur, voluit, statuit, et ordinavit, quod quicumque » beneficium ecclesiasticum tunc per annum im- » mediate praecedentem pacifice possessum, et quod » certo modo vacare praetenditur, deinceps im- » traverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quot annis ipse illud possederit, » ac specificam, et determinatam, ex qua clare » poterit constare, quod nullum ipsi possessori in » dicto beneficio jus competat, causam in hujus- » modi impetratione exprimere, et infra sex menses » ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, » causamque ex tunc desuper infra annum usque » ad sententiam definitivam inclusive prosequi debeat, et teneatur. Alioquin impetratio praedicta, » et quaecumque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, et inte-

» resse possessorem praedictum contingentibus ei » satisfacere, et si possessorem ipsum injuste, frivole, et indebite molestare repertus extiterit » quinquaginta florenos auri persolvere Camerae » Apostolicae sit adstrictus, nec alius quam praemissae vacationis modus etiam per literas si » neutri, aut subrogationis alias sibi quoad hoc, » ut beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut » obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque in antea litigiosum propterea censeatur. » Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatis per » privationem, et amotionem, vel alias propter » commissa excessus, et crimine vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per devolutionem. » — Regula XXXVI autem sic sonat: « Item statuit, et ordinavit idem D. N. quod si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque » simoniaco ingressu, ex quovis titulo Apostolica, » vel ordinaria collatione, aut electionis hujusmodi » confirmatione, seu praesentatione, et institutione » illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et praesentatio, seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice » possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si » dispositioni Apostolicae ex reservatione generali » in corpore juris clausa reservata fuerint, se non » intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes

» quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas,
 » irritas, et inanes censi debere decrevit, antiquas
 » lites super illis motas penitus extinguendo. » —
 Ex quibus colligitur, quod qui per triennium bona
 fide, et cum titulo colorato sine simoniaco ingressu
 beneficium possedit, non tantum in foro externo
 tutus est, et molestari nequit, sed etiam praescribat
 vere, et titulum acquirat in conscientia, ut, paucis
 exclusis, communiter tenent Juristae apud Pirhing
de praescription. num. 115. Extensionem vero
 istius Regulae XXXVI optime determinat Riganti
 in *Commentar. ad d.^m Regulam num. 127*, ibi:
 « Indubium est principium, quod collatio expleta
 » ab eo qui originaria gaudet facultate beneficia
 » conferendi, titulum coloratum tribuat. Duos vero
 » casus tantummodo excipit regula, qui titulum
 » discolorant, ingressum nempe simoniacum, et in-
 » trusionem in beneficio, quod sit reservatum *re-*
 » *servatione clausa in corpore juris*; adeo ut, cum
 » isti duo casus excipiantur, firma remaneat dispo-
 » sitio regulae quoad alios casus non exceptos. »

TITULUS VIII.

De Concessione praebendae, et Ecclesiae non vacantis.

1.^o In hoc titulo antiqua illa controversia pro-
 ponitur; an possit concedi praebenda, et Ecclesia
 nondum vacans? Porro antequam interrogationi
 huic respondeatur, necesse est dignoscere quando
 nam praebenda, vel Ecclesia vacans dicatur. Et
 vacua beneficia dicuntur cum proprietario, et pos-
 sessore vacant; unde ea vacua dicuntur vel *de*
jure tantum, vel *de facto tantum*, vel demum *de*
jure et de facto simul. *De jure* siquidem vacua
 dicuntur, cum nemo habuit titulum beneficii, aut
 semel habitum amisit, et de facto possessionem
 nactus est ex intrusione, vel semel susceptam re-
 tinet. *De facto*, cum proprietas, aut titulus apud
 aliquem est, sed hic nondum possedit, et benefi-
 cium caret possessore, sive quia, ut diximus, titu-

laris nondum possessionem nactus est, sive quia ex ea dejectus est atque exturbatus, nemine surrogante. *De jure simul et de facto* vacuum est demum beneficium, cum nemo proprietatem, aut titulum obtinet, et nemo de facto possidet.

2.° Queis adnotatis, regula generalis proponenda est sequens: beneficia non posse conferri, antequam vacent, prout constituitur *cap. 2 h. t.*, et *collatio* sic facta est ipso jure irrita, et qui in talibus beneficiis se institui passi sunt, debent et repelli a beneficiis, et excommunicari, prout aperte statuitur *cap. 1° h. t.* Imo si illud beneficium postea vacet, non potest ab eodem Clerico obtineri, nisi Apostolica dispensatione interveniente ex *cap. 7° h. t.*: quae tamen poenae supponunt *scientiam*, et *institutionem acceptatam*. — Notamus hic per analogiam quod statuitur in Regula XXI Cancellariae Apostolicae, ibi: « Item si quis supplicaverit sibi » de beneficio quocumque tamquam per obitum » alicujus vacante provideri, et postea per obitum » ejus vacet, provisio, et quaevis dispositio etiam » vigore alterius novae supplicationis, vel gratiae » dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo » faciendae, nullius sint roboris, vel momenti. » Ex qua scilicet praescriptione non solum est obreptitium, et subreptitium impetratum rescriptum, sed in poenam fraudis quaecumque aliae supplicationes, et gratiae istius quoque vacantis beneficii quoad eundem supplicantem sunt irritae. — Sed nec promissio de conferendis iis beneficiis, cum vaca-

verint, valet ex *cap. 2° h. t.* Quae inhibitio prius respexit certas praebendas ex *cap. 2° h. t.*, et proinde tunc valet promissio non certae praebendae *cap. 3 de praebend.* Deinde fuit interdicta promissio cujuscumque praebendae etiam non-certae, dummodo determinata *cap. 19 de praebend.* Demum improbata fuit promissio quaevis etiam indeterminata, prout constituitur *cap. 2° h. t. in VI°*, quo correcta est dispositio *cap. 14 h. t.* permittentis has indeterminatas promissiones. Et si istae promissiones fuissent in scripturam redactae, nec tamen valebant ex *cap. 13 h. t.*, sed aliis donari potuerunt beneficia ex *cap. 3° h. t.*, quaecumque appellatione remota, quo jure nos in praesens utimur. Unde nec Episcopus, vel alius Pontifice inferior valet delegare alteri potestatem conferendi beneficium proxime vacaturum ex *cap. 11 h. t.* Si excipias potestatem in genere datam Vicario de iis conferendis beneficiis, quae vacabunt non respectu certae personae, vel certi beneficii: sic neque valet promissio patronorum, neque delegata ab eis facultas aliquem praesentandi, vel nominandi ad tale beneficium ex *cap. 16 h. t.* Ex his, quae diximus, facile concluditur beneficia non posse conferri, nisi vere vacent: quod imprimis verificatur, cum ea vacant *de jure et de facto* ex *cap. 2° h. t.* At quando ea vacant *solum de facto*, nequeunt concedi, cum non careant proprietario. Tantummodo quaestio oriri potest, cum beneficia vacant *solum de jure*; sed si possessio sit

si qui promittit beneficium quod vacaturum, prom. vel de jure vel de facto potest conferri. non tenetur conferri vacans conferri, nec potest esse prohibita C. E. in regula promissionis, quae sunt prohibita. Concessum est tamen Episcopo pro C. H. h. b. conferri pot. conf. i. b.

colorata, tunc necesse est quod exprimatur ad impetrandum ex *cap. 6^o h. t.^o*; et antequam conferatur, necesse est quod citetur pars possidens, et cassetur possessionis color; si tamen potest cassari, et non potius habeat locum jam citata in *tit.^o VII^o Regula XXXVI Cancellariae Apostolicae*: verum si possessio sit absque titulo colorato, sed tantum ex intrusionione, tunc non est necessaria citatio in collatione, vel institutione tituli collativa, sed solum in institutione reali, prout in dicto *tit. VII* enunciatum est. *Grull. h. l.*

3.^o Ex dictis facile intelligitur quidnam censendum sit de receptione Canoniorum supra-numerariorum. Isti siquidem juxta constitutionem *cap. 19 de praebend.* in Canonicos nominari possunt, et recipi; sed vacaturam expectare praebendam nequeunt ex vi promissionis, quae nulla est, sed ex vi receptionis, ut habet Fagnanus in *Comment. ad d.^m cap. 19 de praebend. num. 7.^o* Quae proinde praebenda futura nec promitti potest, nec per pactum excludi, prout probat Fagnanus ibi *num. 10*. Et clarius eadem proponit idem Fagnanus in *Commentariis ad cap. 9 de Constitut. num. 65 et 66*, ibi: — « Nec adversatur declaratio S. Congregationis Concilii, dum censuit posse ab Episcopo Canonicos supra-numerarios creari, ea tamen conditione, ut nullum jus ad praebendam vacaturam habeant, vel vindicent sibi ex talerectione. Haec enim declaratio non ita intelligi debet, ut Canonici supra-numerarii non debeant

Si h. l. dicitur de jure et non de facto collationem fieri etc. qui si sui iuris collationem collatis h. l. potest fieri quia collatio sed iuris dari non potest nisi prius h. l. dicitur. Idem collationem collatis debet conferri in iuris. Differunt si qui habent esse jus habet ad praebendam ut alterius

» habere jus ad praebendam postquam vacaverit,
 » idque in pactum deduci debeat. Hoc enim esset
 » contra jura, quia eo ipso quod quis recipitur
 » ultra numerum, habet jus ad vacaturam praebendam, ut *C. Cum super, de Concess. praeb.*
 » *C. relatum, et C. Dilectus tit. de praeb.* Nec
 » potest in receptione apponi contraria conditio, ut
 » patet ex dictis *sup. num. 17, et in 6, et 8 not. ab.*,
 » sed declaratio in hunc sensum videtur accipienda,
 » ut Canonici supra-numerarii non possint praebendam postea vacantem propria auctoritate apprehendere, ut innuunt illa verba *nullum jus sibi vindicent etc.* Per receptionem namque ultra numerum non censetur collata praebenda; et ideo vacante praebenda, non potest illam jure proprio sibi vindicare, quia antequam sit ei collata, etiam si petierit illam sibi conferri, habet jus ad rem, sed non in re, ut est textus in *C. si postquam, et in C. penult. de concess. praeb. lib. 6, et declarat hic Felin. num. 16 vers. Sed haec opinio*. Caveant igitur Episcopus, vel Capitulum, ne in creandis, vel recipiendis Canoniceis supra-numerariis paciscantur ut praebendam vacaturam habeant, vel non habeant: utrumque enim pactum est illicitum; et a jure improbatum, ut ex dictis constat, sed hoc relinquunt in dispositione juris communis, vel certe apponant conditionem, ut sic recepti non possint absque nova collatione praebendam postea vacantem propria auctoritate sibi vindicare juxta declaratio-

» nem S. Congregationis. » — Hodie nominantur Canonici *honorarii* potius quam supra-numerarii. Eos posse nominari et tradunt Doctores praesertim post Fagnanum Riganti *ad regul. 52 Cancellar. Apostol. num. 30*, et S. Congregatio Concilii praesertim in *Fulginat. diei 26 Februar. 1639*, et in alia *Fulginat. diei 6 Augusti 1808*. Institutio hujusmodi ad augendum Ecclesiae cultum, et ad honorem pro meritis peculiaribus alicui rependendum invecta est, prout cum Doctoribus advertebat Secretarius S. Congregationis Concilii in *Terracinesi, seu Setina diei 16 Februar. 1788*, et idem Secretarius in *Januensi diei 28 Januar. 1837*; proinde quoad numerum eorum attendendum est, ne adeo excrescat, ut vilescat, et nimia Canonorum multitudo in Ecclesiae dedecus tendat. Unde nihil est a jure determinatum. Sed aliquando S. Congregatio, attento numero Canonorum titularium, non permisit, ut ne unus quidem Canonicus honorarius crearetur, ut in *Terracin. cit.* Cum autem hoc sit negotium concernens interesse commune Capituli, et Ecclesiae, ceu tradunt communiter Canonistae; hinc istorum Canonorum nominatio fieri nequit ab Episcopo sine Capituli consensu, prout in generali decisit S. Congregatio Concilii in dicta *Fulginat. diei 26 Februarii 1639*, super dubio, « An Episcopus auctoritate ordinaria possit in sua Ecclesia creare Canonicos supra-numerarios absque Capituli consensu et Canonorum? » Responsum est « *Non posse,* »

prout legitur in *lib. 14 Decretor. pag. 160*. Idem quoque esse tralatitii juris monet Secretarius S. Congregationis Concilii in *Ventimiliens. anni 1836*. Hanc nominationem esse ab Episcopis aliquibus *praescriptam*, et proinde, irrequisito Capitulo, illam ab eis posse compleri plures tenent Auctores, et praxis nonnullarum Dioecesium probat. — Est nihilominus attendenda decisio nuperrima S. Congregationis Concilii *diei 6 Julii 1867* in causa per summaria precum acta, in qua propositis dubiis: — « 1^o An Archiepiscopus privative a » seipso Canonicos ad honorem nominare, etiamque » hunc honorem quibusdam officiis, veluti Doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc. assignare » valeat, vel potius hoc agere de consensu, vel consilio Capituli. — 2^o An Canonici ad honorem sedere valeant in choro ante, vel post Portionarios » et Semiportionarios titulares, qui licet ministrare » debeant uti Diaconi, ac Subdiaconi, sunt tamen » de Corpore Capituli. — 3^o An paramenta sacra » in functionibus pontificalibus accipere debeant » Canonici ad honorem, Planeta, vel potius Dalmatica, seu Tunicella parari teneantur. » — Rescriptum. — Die 6 Julii 1867 S. Congregatio juxta resolutiones alias in similibus editas, propositis quaestionibus pariter respondendum censet, nimirum: — Ad I *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. — Ad II *affirmative* post omnes Portionarios et Semiportionarios, quatenus et ii inter Canonicos recenseantur, et eodem gradu

ac caeteri Canonici in Choro sedeant. — Ad III si Capitulares sint distincti per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, Canonicos honorarios induere debere Tunicellam; secus eandem vestem communem Canonicis titularibus cujuscumque ordinis sint. — Hinc argui potest quaenam jura hisce Canonicis honorariis competant; nempe eos nequire Capitularibus adesse comitiis, cum praebendam non habeant, neque adeam ullum jus habeant: solum proinde honorem, ac stallum in choro acquirunt, ac vestibus canonicalibus utuntur. — Et quod pertinet ad vestes canonicales, eas gestare valent tantum in propria Ecclesia, cum hodie talis sit regula quoad alios etiam Canonicos praebendatos ex decisione S. Rituum Congregationis diei 10 *Januarii* 1852 sub hoc dubio: « An Parochus permittere, aut saltem » tolerare possit, ut Canonicus, qui in sua parochiali Ecclesia sacram concionem habet, vel » cuidam ceremoniae interest, insignia sua gestet? » Respondit « Canonicum non posse uti insigniis » canonicalibus nisi in propria Ecclesia, vel col- » legialiter cum aliis Canonicis incedat. » — Istorum vero Canonicorum positio quamdam habet inamovibilitatem, nempe, ut sine gravi causa honor semel collatus eis auferri nequeat. Et revera S. Congregatio Rituum anno 1847 ad Episcopi alicujus interrogationem sic respondit: « Quamvis nulli du- » bium sit, atque in ipso jure fundatum Episcopos » ex se indignos posse ab honoribus, quos contu-

» lerint, repellere; quum tamen expoliatio hujus- » modi quasi mortem civilem importet, et quam- » dam infamiae notam Sacerdoti inurat cum non » minori certe populi scandalo: propterea Ampli- » tudo tua curet ad haec non devenire, nisi quando » Sacerdotis indigna conversatio exigat, ut contra » illum de more procedere necesse sit ad majora » scandala praecavenda. »

4.º Circa tempus a jure statutum in benefici- De temp
 ciorum provisione quamvis plures sint textus in hoc titulo, recoli tamen debent quae dicta sunt in *lib. Iº tit.º X.º « De supplenda negligentia Praelatorum. »* Solummodo hic est advertendum ex *cap. 10 h. t.º* pro beneficiis Ecclesiae non numeratae non esse a jure statutum tempus collationis determinatum, sed ea posse conferri quoties libuerit; et ratio est, prout supra expositum est, quia illa beneficia non vacant per mortem, aut renuntiationem possessoris, sed iterum excitantur quoties providentur.

*Loc. citat. supra § unum de eccle-
 religio Episcopi — 6 —
 de par. hinc — 4 —
 pro institutione eccle. non est stat. tempus nec
 pro Episcopi curati — § unum.
 in ecc. non numer. nullum est tempus
 de hinc — 2 — et reddere suffic. com-
 pletendum est (supra) ab Epº.*

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur. Sedes. Dig. de episc.

*Quid juris fuerit vacatione sedis. Hic sed et analogum de quibusdam
in rebus minoribus
in contra quatuor*

bus alii sed.

1.^o Rubrica haec determinatum sensum includens est vera lex ecclesiastica. Ut autem ejus vis dignoscatur, necesse est verborum sensum comprehendere. Quamvis nomine *Sedis* praecise veniat Ecclesia cathedralis, vel metropolitana, aliaque major; haec tamen regula juxta unanimem consensum Doctorum apud Reiffenstuel *h. t.^o num. 3*, comprehendit omnia beneficia etiam minora propter paritatem rationis, nempe probabilis praepjudicii. Vacare autem dicuntur haec beneficia, et Sedes, cum titularem amplius non habent, et proinde, ut docet *cap. 1 h. t.^o* non est qui jus episcopale, vel beneficiale tueatur. Si quis autem quaerat quamdiu duret haec vacatio, responsio circa Episcopatus, Archiepiscopatus etc. jam data est per inter-

pretationem *Extravagant. Injunctae de elect. inter communes*, nempe durare usque dum litterae apostolicae expeditae sint, et praesentatae Capitulo; beneficia alia electiva vacare usque dum electio confirmata sit; et demum alia beneficia minora cum successit collatio, vel institutio. *De Canonica 1. p. 2*

2.^o Hic vero Doctores fuse docent quamnam auctoritatem habeat Sede vacante Capitulum, et nomine ejus Vicarius Capitularis; sed hoc a nobis expositum est in *tit. XXVIII libri I*; in quo de eo Vicario locuti sumus. Proinde regula a nobis nunc exponenda est negativa, prout sonat, de interdicens scilicet innovationibus. Porro innovationes vetitae eae sunt, quae vergunt in praepjudicium Ecclesiae, et beneficii vacantis, vel Praelati et beneficiarii successoris. Hinc omnes quaestiones, quae respiciunt statum earumdem Ecclesiarum, vel beneficiorum tempore vacationis non possunt pertractari propter probabile praepjudicium, ut advertit *cap. Novit. h. t.^o*, et Fagnanus cum Doctoribus ibi. Item contractus Sede vacante initi, si sunt in damnum Ecclesiae, non valent; at si sunt in bonum ejusdem, est in libertate Episcopi, vel beneficiarii successoris eos ratos habere, vel rescindere ex *can. si qua caus. 12 quaest. 2.^a* Judicium demum intentatum Sede vacante, vel continuatum quoad actus deinde positos non tenet, prout edicitur *cap. 3 h. t.^o* Unde est, quod in istis casibus deputandus est a Pontifice specialis defensor beneficii, vel Sedis, qui ista negotia gerat, si necesse

est in eis procedere. Fluit sua sponte alienationes in detrimentum beneficii vacantis, et successoris beneficiati esse a jure consideratas prout invalidas. Sicut ex ista regula deducitur, prout pluries notatum est, et in progressu operis notabitur, tempore Sedis vacantis quascumque praescriptiones non currere, seu conquirere, cum non habeatur qui valeat jura beneficii defendere. Unde tempus Sedis vacantis non computatur in praescriptione.

TITULUS X.

*De iis, quae fiunt a Praelatis
sine consensu Capituli.*

1.^o Nemo est qui ambigere valeat administrationem Dioecesis pertinere ad Episcopos, qui positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. Ab antiquissimo tamen tempore, imo ab exordio Ecclesiae eam administrationem ut principalem gerebant, auxiliante Clero. Ex quo contigit canones fuisse confectos, quibus Episcopi in rebus gravioris momenti, priusquam quidquam decernerent Presbyterorum inferiorum consilium, et sententiam exquirere tenerentur, ut pluribus allatis ex antiquitate exemplis probat Benedictus XIV *De Synod. lib. 13 cap. 1^o num. 4.^o* Aucto deinde in quavis Dioecesi Sacerdotum numero, cathedralis Ecclesiae Canonici effecti sunt Consiliarii Episcopi, ejusque Senatus, prout eruitur ex *cap. 4^o h. t.^o* In gra-

vioribus hisce negotiis pertractandis aliquando Episcopus debet agere *de consensu*, quandoque *de consilio* Capituli sui. Optime autem hic advertit Fagnanus *in cap. Ad audientiam de Ecclesiis aedific. num.º 53, et 54*, quod in actibus illis, in quibus procedit Episcopus auctoritate delegata, non requiritur Capituli neque consensus, neque consilium, cum tunc agat commissione Papae, ejusque vices gerat. Id ergo solum habet locum cum procedit auctoritate ordinaria. Si consensus requiritur, tunc convenire debet cum Episcopo major Capituli pars, secus Episcopus non potest procedere ex *cap. 1º h. t.º*, nisi recursu facto ad Pontificem, et constituto de irrationabili dissensu Capituli, Pontifex vel jubeat Capitulum consentire, aut suppleat ejusdem consensum. Quod si exigitur *consilium*, tunc debet quidem Episcopus illud a Capitulo exquirere ad actus validitatem, licet deinde sequi non teneatur ex *cap. 7º de arbitr.*, et *cap. 1º De Capell. Monachor.*, atque tradit cum communi Gonzalez *in cap. 52 de elect. num. 4.º* Doctores in expositione istius tituli fuse explicant quatenam sint negotia, de quibus Episcopus deliberare nequit sine consensu Capituli, et quatenam illa, quae decernere valet, audito dumtaxat Capitulo. Ea nos in diversis titulis afferemus, ne hic conglobatim enumeremus. Criterium tantummodo generale haec proponemus cum Benedicto XIV *op. et libr. cit.º num. 8º et 9º*, nempe « multum » hac in re deferendum esse locorum consuetudini,

» qua induci potest ut Episcopus solutus sit ab » obligatione, qua ceteroquin, spectato jure communi, teneretur requirendi sui Capituli consensus, aut etiam consilium: quod aperte colligitur » ex *cap. « Ea noscitur » de his quae fiunt a » Praelatis*, et ex *cap. Non est de consuetudine » in VIº*, docentque Stephanus Gratianus *discept. » forens. cap. 100 num. ult.º*, Zerola *in praex. » Episcop. part. 1ª verb. Capitulum num. 8º*, Barbosa *De Canonicis cap. 42 num. 19*, Formosinus *de potest. Capituli sed. vac. tract. 2º » quaest. 1ª num. 4.º* » Et sequenti numero subjungit: « Et siquidem contrariorum eadem est disciplina, obstringeretur Episcopus non solum » consilium, sed etiam sui Capituli consensum » expetere, ubi idem Capitulum id juris ex antiqua » consuetudine sibi vindicasset. » Id deinde probat Benedictus XIV exemplo novarum constitutionum ab Episcopo in Synodo promulgandarum circa expetendum Capituli consilium, et habet rationem hujus consuetudinis afferendo plures decisiones S. Congregationis Concilii in diversas partes, prout diversa erat consuetudo. Putarem proinde hodie in hac re nos non vivere jure scripto, sed jure consuetudinario. Imo Lambertinus *de jur. patronat. part. 3ª libr. 2º quaest. 1ª art. 4º* apud Giraldi *op. cit.º p. 1ª sect. 432* sentit hodie dici posse, praesentem titulum recessisse ab aula, cum Episcopi fere omnia expediant sine consensu Capituli.

TITULUS XI.

De his, quae fiunt a majori parte Capituli.

1.^o Licet unica quaestio in hoc titulo proponatur, scilicet de valore decisionis, quam tulit major Capituli pars; nonnulla tamen dicenda videntur in genere de Capitulis Canonorum, quae aliis in locis recensere nequimus; etsi de multiplicibus obligationibus Canonorum ac de juribus jam in antecessum locuti simus, et in sequentibus pluries sermo fiat. Initio Ecclesiae in quavis Dioecesi administrationem ecclesiasticam videmus fuisse concreditam Episcopo, cum suo Presbyterio, quod dicebatur quoque constituere Senatum Episcopi. Multiplicatis praeter cathedralem Ecclesiis seu titulis in ipsa Civitate, et in aliis locis Dioecesis, quaelibet Ecclesia habuit suos Clericos, et sic plures eorum universitates seu Collegia fundata

sunt, et exorta, quae hodie dicuntur Collegia Canonorum. Maximum porro ex tunc factum est discrimen inter Capitulum cathedralis Ecclesiae, et alia quaecumque Capitula minorum Ecclesiarum. Nam sicut cathedralis Ecclesia omnibus aliis praestitit in Dioecesi, sic pariter ejus Capitulum insignius fuit omnibus aliis. Sed quod constituit ejus potioritatem prae aliis illud est, quod Capitulum Cathedralis fuit retentum ut Senatus Episcopi in locum antiqui Presbyterii, cum alia Capitula minorum Ecclesiarum hanc non valeant sibi arrogare praerogativam. Unde quod in titulo antecedente dicitur, Praelatum, aliqua debere facere cum consilio, vel consensu Capituli sui, haec intelliguntur de Capitulis cathedralium Ecclesiarum relate ad Dioecesis gubernationem. Hinc princeps illa distinctio Capitulorum in Cathedralia et Collegiata. Sunt quidem et aliae divisiones, quae tamen alios respectus considerant; sunt etenim alia collegialia *insignia*, alia *non-insignia*; et haec distinctio respicit patriorem unius prae alio excellentiam: alia sunt *numerata*, alia *non-numerata*, prout numerus Canonorum est determinatus, vel non determinatus: Capitula *non-numerata* vocantur quoque *receptitia*. Alia demum sunt Capitula regularium Canonorum, alia saecularium, prout vitam communem sectantur, vel non; de quibus Capitulis regularibus loquemur *tit.^o XXXV hujus libri*.

2.^o Non totus autem Clerus alicujus Ecclesiae

dicitur ad Capitulum pertinere. Namque etsi dignitates ad ipsum summo jure non pertineant, nisi sint Canonici, tamen communiter in ipsum cooptantur; at Beneficiati, Portionarii, Capellani, aliique Clerici, etsi choro adsistant, non sunt tamen ad Capitulum pertinentes, nisi statuto, aut consuetudine aliud caveatur, prout communi calculo tenent Doctores, et suprema Tribunalia ecclesiastica probarunt; nam, ut ait Cardin. Petra *in Constit. 1^a S. Leonis Magni lect. 2^a num. 11 tom. 1.^o* « Beneficiati debent obsequi Canonicis, nec eis parificari. » Unde est quod in conventibus Canonico-
 rum isti non habent vocem. Et quoniam Ecclesia regitur Canonico-
 rum consilio et decisionibus, hinc Beneficiarii, aliique sub eorum dispositione debent manere, easque decisiones observare a Capitulo factas pro bono regimine Ecclesiae, et divini servitii adimplemento. Hoc tamen non impedit, quominus aliquando Beneficiarii quoque habeant votum in conventu Canonico-
 rum, nempe cum massa bonorum ipsis est cum Canonicis communis; tunc enim et ipsi interloqui, et adsistere redditioni rationis factae coram Episcopo, et petere ostensionem computorum valent, prout a S. Congregatione Concilii decisum est in *Astensi diei 12 Julii 1682*. Quando vero Beneficiati habent massam separatam ab illa Canonico-
 rum, tunc illam ipsi administrant, sub tutoria tamen auctoritate Capituli. Haec auctoritas tutoria ex eo necessaria dicitur, quia interest Capitulo, quod haec inferiora

Collegia recte sint, ut valeant munus exercere servitii Ecclesiae in Capituli adjutorium.

3.^o Quod autem Ecclesia regatur Canonico-
 rum consilio et decisionibus, hoc ita est intelligendum, ut « ex juris dispositione, et receptissima Doctorum » sententia regimen et administratio Ecclesiae pertineat ad Capitulum cumulatim cum Episcopo, ut asseruit Rota coram Caprara in *Gerundinensi diei 15 Decembris 1702*, et circa respicientia ordinationem chori Capitulum valeat leges et statuta condere « etiam absque ulla participatione Beneficiario-
 rum et Capellanorum, » ut pariter tenuit Rota coram Caprara in *Illerdensi 9 Junii 1704*. Quae statuta a Capitulo condita cum approbatione Episcopi obligant usque dum legitime non revocentur, vel corrigantur.—In Capitulis plerisque est jus optionis, et aliquando in Statutis capitularibus hoc jus recensetur. Id competit Canonicis, qui praeter alias qualitates sunt antiquiores, et praecise respicit meliores praebendas, quarum unam vacantem quis optat, sua inferiori dimissa; proinde nova provisio fit semper de ultima, et inferiore. In hac optione, ut advertit Moneta *de option. canon. cap. 2 quaest. 2^a num. 16*, et Gonzalez *ad regul. 8 Cancell. Gloss. 34 cap. 11^o*, distinguendum est, an praebenda sit titulo Beneficii perpetuo et inseparabiliter unita, vel revocabiliter; si enim primum sit, tunc in optione dimittitur praebenda et titulus; si alterum, tunc potest consequi diversa et melior praebenda, manente eodem titulo. Et quoniam pensiones, uti vi-

debimus, inhaerent titulo; hinc, ut cum communi tenet Pitonius *discept. Eccles. 10 num. 9°*, « onus » pensionis non transit in praebendam optatam, » ubi mutatur titulus, quidquid secus ubi titulus » non mutatur. » Hoc intervenit praecipue in illis Collegiis Canonorum, in quibus sunt tres ordines, et cuique ordini correspondent praebendae plus vel minus pingues, et exemplum habemus in *cap. 13 de constitut.*, sicut in illis Capitulis, in quibus juxta veterem disciplinam duplex series Canonico- rum est, una residentium, altera domicelliariorum. In illis Capitulis, in quibus praebendae sunt aequales, esse tamen potest optio, ut quis ascendat ad altiorem ordinem Canonorum, nec requiritur nova institutio; semel ac enim quis est cooptatus in istis Capitulis, censetur quoque consequi jus optionis.

4.° Capitulum autem vocem suam non nisi per coadunationes et comitia, seu capitulariter pandit, hinc non haberet consensum Capituli, qui Capitulares etiam omnes singulariter percontatus haberet conniventes, qui collegialiter adunati non forent. Convocatio fit a praeside, et aliquando ab Episcopo, de qua re videatur Fagnanus in *cap. Ut Abbates de aetat. et qualit. num. 27*, et Leurenus *For. Eccles. lib. 3° tit. XI quaest. 126*. Et omnes debent vocari, qui volunt, possunt et debent interesse, ut dictum est in *tit.° VI lib. 1.°* Hic nunc sufficiat notasse non in omnibus capitulis esse vocandos longe absentes; quin imo in

qui habent vocem activam in capto

ita ut non vocandi sunt ipsi qui vocati sunt activi

longi absentibus

capitulis ordinariis neque esse necessariam vocationem: secus in extraordinariis.

5.° Quibus positis ad unicam quaestionem in hoc titulo propositam resolvendam accedimus. Quaestio est: an quod decisum est a majori parte Capituli obliget universum Capitulum, dissidentibus et absentibus quoque comprehensis? Cui antequam catholica detur responsio, praemittendum est majorem partem Capituli dici majorem partem, seu majorem *absolute* numerum eorum Capitularium, qui ex omnibus vocandis et vocatis convenerunt, et in eandem sententiam iverunt. Dicitur de iis, qui convenerunt: nam cum omnes vocati sunt, si aliqui non compareant, ceteri possunt in negotio procedere, et sibi imputent absentes quod non comparuerint, et sic juri suo pro illa vice renuntiaverint, ut tenet *Glossa in cap. 42 v. qui volunt de elect.*: sufficit autem numerus trium, ut Capitulum habeatur, ut cum communi Doctorum tradit Ceccoperius *lib. 4° tit. 2.°* Dicitur pariter, quod numerus hic debeat esse praesentium *absolute major*, quia non habetur respectus ad alias partes in diversa abeuntes, sed ad omnes congregatos, et omnium congregatorum assumitur majoritas, seu major pars, quae in unum conveniat, prout communiter censent Doctores. Profecto non est putandum, quod communiter Capitula suam vocem, aut opinionem pandant per unanimitatem (quae est res insolita), sed tenendum est vocem, seu opinionem Capituli revelari per majoritatem

absolutam votorum. Juxta *cap. 1 h. t.*° attendi debet quoque ad *sanio*rem partem; sed hodie non amplius ad id attenditur, posito quod habeatur *major* pars, ut demonstrant Doctores in *cap. 42 de elect.* Haec autem absoluta majoritas votorum cum repraesentet opinionem personae moralis, jure dicitur Capituli votum. Id vero juxta *cap. 1 h. t.*° debet ab omnibus incunctanter observari; nempe, « ut nisi a paucioribus ex inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit et ostensum, appellatione remota praevaleat semper, et suum consequatur effectum. » Haec autem theoria non impedit quominus aliquando in Collegiis ad habendum cum effectu votum communitatis requiratur major concordia, quam sit majoritas, seu votum majoris partis; velut ex. gr. in Collegio Cardinalium S. R. E. requiruntur pro electione Summi Pontificis duae tertiae partes votorum; et sic de aliis nonnullis casibus.

6.° Ast quaeritur, an haec major pars Capituli possit quoque aliquid decernere in praejudicium partis minoris, et singulorum? Et quidem videndum est, an id, de quo consultatur, sit in bonis ipsius Collegii seu universitatis, vel e contra in bonis singulorum. Si primum, valet decretum majoris partis, contradicente etiam parte minore, quia universitas per medium majoritatis censetur disponere de bonis suis. At si consultatio est de bonis singulorum, vel de singulorum juribus, tunc majoritas minoritati, et singulis de minoritate prae-

*in l. de Clerico agr. concord. Ep. in longum. ad summa
Coadi. de consensu Capli. si autem Ep. de minor. m. l. l. l.
sicut ad summa concord. Cap. de constit. ad Ep. party*

judicium generare nequit; et ubi est interesse singulorum, debet esse singulorum placitum, juxta *regulam juris 26 in VI*° « quod omnes tangit, ab omnibus probari debet. » Cujus rei plura palmaria exempla traduntur ab Auctoribus; sic omnes et singuli electores debent probare formam commissi, et alia hujusmodi. Excipe, si quae ab unoquoque Canonico praestari debent, ea tamen expendenda sunt pro opere, quod ab ipsis Canonicis est de obligatione praestandum; tunc enim pars major contra minorem, et in hujus quoque praejudicium potest decernere, ut portio aliqua reddituum singulis detracta ad usum hujusmodi applicetur, et exemplum est in *cap. ult. h. t.*°

qui agatur de re necessaria, tunc enim sufficit consensus majoris partis.

TITULUS XII.

Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.

Haec multo. habet sensum determinatum et facit legem.

1.º Rubrica pariter haec habens sensum determinatum est vera regula ecclesiastica, quae quascumque diminutiones in collatione Beneficiorum ecclesiasticorum a personis Papa inferioribus faciendas interdicit. Haec porro diminutio triplici modo potest contingere: — 1º adigendo eum, cui confertur Beneficium, ad graviora munera subeunda, quam quae adnexa erant Beneficio, puta ad celebrationem majoris numeri Missarum, vel ad adsistentiam Choro etc.: — 2º cogendo eum ad aliquas solutiones semel faciendas occasione receptionis Beneficii: — 3º demum reservando partem fructuum, aut pensionem constituendo de parte eorumdem fructuum: quid vero in hoc praecise canones vetent singillatim aperiemus.

2.º Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 5º de reform.* aperte interdicit, ut contrariis ordinationibus non detrahatur iis, quae bene constituta sunt in Beneficiorum erectione seu fundatione, vel imponendo nova onera, vel impositis derogando. Et praebendis jam erectis nova onera auctoritate Ordinarii imponi non posse saepius declaravit S. Congregatio Concilii, prout refert Fagnanus in *cap. Significatum de praebend. num.º 3º et seqq.* Neque aliud probat summatio et Glossa in *cit.º capite*; ut enim in ipso capite concluditur, istae novae impositiones non valent, nisi accesserit Apostolicae Sedis venia; proinde sola Auctoritate Ordinarii istae non constitissent. Excipe, nisi necessitas Ecclesiae urgeret pro servitio Ecclesiae, prout notandum est *tit.º XIV lib. 1º*, nam Beneficia instituta sunt pro servitio Ecclesiae. *aliud est in l. et de praeb.*

3.º Nec minus a sacris canonibus interdictae sunt quaecumque solutiones aut praestationes, quae semel fiant occasione provisionis Beneficiorum, quae in usus pios non convertantur, sed simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem habeant. Has omnes etsi ex veteri consuetudine receptas, tamen abolendas esse statutum est a Concilio Tridentino *sess. 24 cap. 14 de reform.*, antiquos quoque canones et Constitutiones Pontificias innovando, prout deinde confirmatum est a Pio V *Constitut. « Durum nimis » diei 31 Maii 1570*, et ab Innocentio XII *Constitut. « Ecclesiae » diei 22 Septembr. 1695*. Ad quarum Constitu-

in ecclesiis privatam, piam, canonicam etc.

tionum observantiam plures decisiones datae sunt a S. Congregatione Concilii, quarum nonnullae referuntur a Richter « *Canones et Decreta Concilii Tridentini* » in cap. 14 sess. 24. Ex quibus ista principia erui possunt. — (α) Esse abolendas quas-cumque consuetudines vigentes, et in futurum non debere inolescere, quibus ratione, vel occasione provisionis fiant praestationes, quae in usum vel confratrum, aut collatoris, aut patroni cedant; et si istae minimae sint praestationes, eas ex antiqua consuetudine posse a noviter admissis, si velint, servari, *sed non esse cogendos*. — (β) Antiquas vero consuetudines servari debere, et in futurum eas posse inolescere, ut noviter admissi aliquid solvant pro fabrica Ecclesiae, pro sacristia, aut alio usu pio, dummodo haec solutio non sit maxime gravans, quo casu erit onus reducendum. — (γ) Consuetudines pariter esse servandas, quibus aliqui non admittuntur ad massae participationem, nisi expleto aliquo tempore servitii in tali Ecclesia gratuito impensi, sicut consuetudinem, quae dat fructus Capitulo, donec novus Beneficiatus fiat Presbyter, quia intentio Concilii *dicto cap. 14* fuit ne ratione collationis aliquid perciperetur, ut censuit S. Congregatio in *Asten diei 6 Maii 1617*. — Hic loquendi locus est de annatis, de quibus fusius pertractarunt Ferraris in Bibliotheca v. *Annatae*, et Natalis Alexander *histor. Eccles. tom. 18 Dissert. IX^a*, aliique. — *Annatae* definiri generaliter possunt « certa pars fructuum, vel illorum valoris

» juxta canones et pacta concordata ex Beneficiis » Romano Pontifici, illiusque Curiae in eorum collatione solvenda. » Ista dicuntur in dicta collatione Beneficiorum jura Datariae Apostolicae, et pro reductione summae, quae spectat ad Summum Pontificem, stat ille Officialis Datariae, qui dicitur *Officialis Componendarum*. Pensionem istarum annatarum modo generali primus induxit licet temporanee Clemens V, sibi reservando primos fructus de omnibus Beneficiis vacantibus in Anglia per biennium; Joannes XXII vero *Extravag. comm. Cum nonnullae de praebend.* omnium Beneficiorum non electivorum, quae per triennium vacassent, primos pariter fructus reservavit: Bonifacius IX demum annatas pro omnibus Beneficiis fecit perpetuas. Per pacta concordata deinceps cum diversis nationibus haec pensio annatarum fuit diversimode regulata. Mirum profecto est quot fuerint ab adversariis Romanae Sedis congestae calumniae, et difficultates contra annatarum pensionem, adeo ut de iis agi debuerit in Synodo quoque Constantiensi, et in conventu Basileensi. Licet autem in iis magnis animis fuerit quaestio agitata, nihilominus nihil fuit definitum, et ab omni simoniae specie earumdem exactio fuit purgata. — Causae autem, propter quas statutā est annatarum exactio, fuerunt: — 1° pro partiali sustentatione Pontificis, Cardinalium, et Curiae: — 2° pro Legatis missis, aliisque sustinendis Ministris S. Sedis: — 3° pro bellis cruciatis: — 4° pro fidei

de fructibus
per annum
distribuitur

6

Exceptis proventus admissi, qui sunt annuati et spontaneae
pro aliquo tempore v.g. pro fabrica
potest...
sed soli distribuitur, sibi conservando.

Ita Sedes solis aliquid remittere, et hoc in
secretariis, in officio de componendis.
Secret. Pontif. C. 3 et 4

propagatione, et emergentibus circumstantiis. — Principio quidem illae solvebantur post acceptas bullas beneficiorum, cum Beneficiati jam fructus percipere incepissent, et non in totum una vice; sed deinde, cum debitores Clerici earum solutionem negligerent, statutum est, ut in ipsa bullarum receptione solverentur; et quam rationabilis fuerit haec praepropera exactio patet ex Epistola Aeneae Sylvii Cardinalis Senensis deinde Pii II Summi Pontificis ad Martinum Mayerum Moguntini Archiepiscopi Cancellarium.

4.º Reservatio quoque partis fructuum in bonum conferentis, aut quomodocumque concedentis beneficium a canonibus interdicta est, cum in cap. un.º h. t.º § Omnibus expresse dicatur « in Concilio Lateranensi prohibitum esse, » ne quis conferendo ecclesiasticum beneficium, » partem proventuum suis usibus retinere praesumat. » Et hoc vetitum percellit quoscumque collatores etiam Ordinarios, Patronos etc. At in cit.º cap.º un.º § ult. h. t.º excipitur justa et necessaria causa, propter quam istae reservationes fieri possunt; et hae causae plures ab Auctoribus enunciantur. Sic ad augendas Parochorum congruas posse etiam uniri, dismembrari, aut annua pensione gravari (quae in casu esset reservatio partis fructuum) Capellantias, vel beneficia quaecumque, regularibus tantummodo exceptis, censuit S. Congregatio in *Nullius Foripompilii diei 23 Augusti 1834*, et in *Asculan. diei 25 Junii 1836*.

At notandum est hanc reservationem debere fieri ante, vel in ipsa collatione beneficii; nam si postea fieret, non recte procederet sine consensu Beneficiati, cujus jus quaesitum laederetur. — Fusior sermo de pensionibus hic faciendus est. Pensio communiter definitur « jus percipiendi partem fructuum » ex alieno beneficio auctoritate Superioris ecclesiastici Clerico justa de causa constitutum. » Haec est pensio ecclesiastica, quia alia, quae datur in retributionem laboris, vel officii simpliciter materialis, vel profani, quaeque dari potest etiam laicis, dicitur pensio laica. Additur in definitione quod detur ex causa; eaque esse potest aut ministerium spirituale, cui non est adnexa praebenda, puta officium Vicarii, concionatoris etc., vel ratio servitii spiritualis jam praestiti, aut alia quaevis sufficiens, puta studiorum etc. Ecclesiastica autem pensio, de qua loquimur, dicitur alia esse ad vitam Beneficiati; alia ad vitam Pensionati; prima appellatur onus personae, eam enim tantum attingit; e contra altera vocatur onus beneficii, cum quascumque personas, seu Beneficiatos percellat usque dum vivit Pensionatus. — Quae positae quaeritur: quinam valeat pensionem imponere? Et dicendum est de pensionibus vigentibus ad vitam Pensionati Doctores convenire, quod eas non valeat imponere nisi Pontifex; si enim regula generalis vetat, ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur; haec saltem valebit in graviore casu, qui est de pensione, quae constituit onus ipsius

beneficii. Hinc est quod non valeat admitti ab Ordinario resignatio facta a possessore beneficii, reservata sibi pensione. — Quod spectat vero ad pensiones ad vitam Beneficiati, dicendum est cum Fagnano ad *cap. 21 num.º 28 de Praebend.* communioem inter Doctores esse sententiam, quae Episcopis id concedit, quia id non constituit onus beneficii, sed potius personae. Quod et praxim probare nos addimus, cum passim Episcopi in beneficiorum concessione has pensiones assignent. Sed quid est, quod dicit Fagnanus in *d.º capite* usum Datariae esse contrarium? En in quo consistit usus Datariae. Aliquando post assignatam ab Episcopo pensionem, fiunt a Pensionato preces ad Datariam, ut illa pensio, quae constituta est ad vitam Beneficiati, protrahatur ad vitam Pensionati. Cui supplicationi rescribens Dataria Apostolica non habet rationem concessionis factae ab Episcopo, sed de novo concedit illam pensionem ad vitam Pensionati. At meo iudicio id non reddit irritam primam gratiam, sed ejus tantum non habet rationem, concedendo gratiam utiliorem. Ex altera vero parte stat factum istius concessionis episcopalis, quae viget, et nemo contra istud reclamavit, etiam S. Sede sciente. Imo etiam hic Romae quando a Cardinalibus conferuntur beneficia dantur cum pensione; et in Patriarchalibus cum collatio spectat vel ad Cardinalem Archiepiscopum vel ad Canonicos in respectiva hebdomada pariter in collatione plerumque consti-

tuitur pensio; et in istis quoque casibus pluries fit recursus ad Datariam, ut protrahantur praedictae pensiones ad vitam Pensionati. Si autem istae petitiones non fierent, profecto valerent et valent tales concessiones ad vitam Beneficiati.

5.º Pensiones neque temporanae possunt imponi ex jure communi illis beneficiis, quae redditus non habent ad alendos suos Rectores, et in aliis ita moderatae imponi possunt, ut detracta pensione debeant semper pro Rectore sufficientes remanere fructus; et, ut notat Fagnanus *cap. 21 de praebend. num. 26*, ultra medietatem fructuum assignari pensio nequit, cum nec Pontifex ultra tertiam, vel ultra dimidiam fructuum partem imponere soleat, ut idem Auctor docet; et inter fructus taxandos non computantur *distributiones*, si constituunt tertiam partem fructuum. Concilium autem Tridentinum *sess. 24 cap. 13º de reform.* sanxit, ut cathedrales Ecclesiae, quarum redditus *summam ducatorum mille*, et parochiales, quae *summam ducatorum centum* secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum in posterum graventur. Quod decretum ampliatum est a Benedicto XIII *Constitut. « Quanta » diei 15 Septembr. 1724* prohibente juxta edictum Innocentii XII *diei 11 Novembr. 1692* per organum Datariae publicatum, quod in omnibus confirmat, ne locorum Ordinarii, aut quicumque alii Parochialium Collatores etiam juris patronatus laicalis ullo modo dictas Ecclesias

pensionibus gravent, neque earumdem resignationes, aut permutationes admittant cum pensione favore cujuscumque, et sub quocumque titulo etiam alimentorum praestationis; et multo minus beneficio pleno de possessorum consensu ex quacumque causa seu titulo, reservata Papae facultate easdem pensiones imponendi in favorem dumtaxat et commodum fabricae, ac ornamentorum ipsarum Parochialium. Quae exceptio ex justissima ratione fuit inducta, cum nulla videatur esse pro Episcopo mensa, aut congrua pro Parocho portio satis ampla, qui sui populi necessitatibus providere tenentur, eique in multis casibus auxiliari.

6.º Pensiones autem *de sui natura* sunt liberae, immunes et exemptae a quibuscumque taxis et oneribus, quod solet etiam exprimi in bullis pro earum concessione expeditis, ut *integre* pendantur. Apposite id notat Pyrrh. Corradus in *Praxis beneficiaria lib. 5 cap. 7º num. 22*, ibi: « Haec dictio » *integre* refertur ad exemptionem pensionis: quia » non diceretur integre solvere, si ex ipsa pensione » deducerentur decimae et alia onera; quoniam » Pensionarius habet actionem personalem adversus possessorem beneficii, et consequenter onera » etiam necessaria pro re non sunt deducenda, » cum spectent ad ipsum possessorem, *l. patrimonii*, » et *l. defuncto ff. de usufruct.*; quae ratio concludit, sive dicatur *integre*, sive non: tanto magis » quando exprimitur quod *integre*, *cum sit de natura pensionis, quod sit sine onere.* » Ut autem

*penſionis concessio in bonis determinata
actio personalis non reali conceditur penſionariis*

Pontifex tamquam dispensator fidelis et prudens Ecclesiae redditus distribuat juxta personarum merita et qualitates, et proportionales faciat pensiones redditibus beneficiorum, hinc *in Regula 55ª Cancellariae Apostolicae* praestitutum est sub poena nullitatis gratiae, ut in quavis concessione beneficiorum exprimatur verus valor reddituum beneficii; sicut si illud obtinens alia jam retineat. Unde sequitur ad sustinendam, annullandam, vel diminuendam aliquam pensionem causa reddituum beneficii, habendam esse rationem reddituum expositorum: si enim expositio facta vera est, tunc, subsistente fundamento gratiae, ipsa pensio subsistit. — At hic Doctores distinguunt inter pensionem *simpliciter* concessam, et eam, quae conceditur sub conditione « *dummodo remaneant centum pro Rectore, mille pro Episcopo.* » Nam omnes conveniunt in primo casu sufficere, quod assertio reddituum verificetur tempore, quo imposita est pensio, cum subsequentes diminutiones non percellant Pensionarium; sicut augmenta ejus statum meliorem non faciunt. In secundo autem casu oportere valorem esse verum quoad conditionem non solum tempore appositionis pensionis, sed etiam in futurum, ut habet Rosa *De Exeꝑutor. Litter. Apost. cap. 7º n.º 201*; ita ut quandocumque tempore subsequente non verificantur *centum pro Rectore, vel mille pro Episcopo*, tunc pensio, quae prius sustinebatur, dispereat; et jure quidem, quia pensio non potest imponi nisi super redditibus su-

perioribus hac summa; unde si aliquando isti redditus superiores non sunt; juxta satis notum principium juris, res incipit esse in eo casu, a quo incipere non poterat. — Diximus autem in aliis pensionibus attendi ad veritatem expositionis reddituum in pensionis impositione; quae si tunc verificantur, quaecumque deinde variatio superveniat sive in majus, sive in minus, non variat pensio; et jure quidem, ut dictum est; quia Pensionarius non est neque in parte bonorum beneficii possessor, unde debeat fructus suos facere, et persentire onera et taxas ipsius bonis impositas, vel imponendas, sed habet actionem personalem erga beneficii possessorem. — Ab hac norma, aequitate suadente, recessum est ex decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium lato ex Audientia SS.^{mi} diei 20 *Januarii* 1871 et vulgato sub die 28 ejusdem mensis et anni, *De pensionibus ecclesiasticis pro rata portione imminuendis ob usurpationes et gravamina bonorum Ecclesiae in Italia existentium*, quod est tenoris sequentis: « Cum nuperrimis hisce temporibus redditus ecclesiasticorum Beneficiorum » in Italia existentium ob rerum vicissitudines non » modicam passi fuerint diminutionem, beneficiarii » illos haud amplius oneribus ab se ferendis pares » esse existimarunt. Hujusmodi in angustiis constitutis illud vel maxime grave ipsis visum est, » quod ad pensionum solutionem ab iis urgerentur, » quorum favore in actu collationis legitime sunt » impositae, aut reservatae. Quare cumulatis un-

» dique petitionibus ad hanc S. Congregationem » negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam recursum habuerunt, ut » a pensionum solvendarum onere, inspecta universa rei ratione, vel omnino, vel partim declararentur immunes. E contra Pensionariis contentendentibus nihil esse de pensionibus sibi debitis » imminuendum, SS^{mus} D. N. Pius PP. IX cui » sub *die* 11 *Julii* 1869 relatae fuerunt petitiones » utrinque porrectae, mandavit, ut quaestio examinari Eminentissimorum ac Reverendissimorum » Patrum hujus S. Congregationis in plenario consessu subjiceretur pro norma generali statuenda, » qua rationibus hujusmodi contententium de bono » et aequo prospici valeret. Hinc semel iterumque » in generalibus comitiis re mature discussa, Eminentissimi Patres, collatis simul consiliis, tandem » demandarunt, ut eorum sententiae Summo Pontifici referrentur, qui sapientissimo ac supremo » suo judicio quidquid aequius et opportunius hac » desuper re existimaret, de plenitudine potestatis » decerneret. Quod cum reapse peractum fuisset » ab infrascripto D. Sub-Secretario hujus S. Congregationis in audientia habita sub *die* 20 *Januarii* 1871, Sanctissimus Dominus Noster, » omnibus undequaque perpensis, hanc normam » generalem statuendam ac tenendam esse adjudicavit: nempe ut amissio vel diminutio reddituum » beneficiorum in communi Beneficiarios ac Pensionarios afficiat, nullo facto inter ipsamet bene-

» ficia, ipsasque pensiones discrimine, ita ut prae-
 » fatis redditibus imminutis, vel amissis, habita
 » proportione imminui etiam pro rata debeant, aut
 » cessare pensiones. Pro Ecclesiis tamen cathedra-
 » libus (seu episcopalibus mensis), et parochia-
 » libus pensionum oneri subjectis, illud insuper
 » constitutum expresse voluit, atque praescripsit,
 » ut earum favore in pensionibus ab se persol-
 » vendis integra semper servari debeat, et incolumis
 » esse congrua ad formam Concilii Tridentini.
 » Quibus ita praestitutis, Sanctitas Sua praeterea
 » declaravit atque mandavit: — primo, ut quod-
 » cumque dubium, aut quaestio inter praefatos Be-
 » neficiarios ac Pensionarios suborietur, ab hac
 » S. Congregatione EE. et RR. unice ac privative
 » cognoscenda sit, ac de bono et aequo, excluso
 » foro contentioso, dirimenda: — secundo, ut si
 » Clericus aliquis pensionis titulo ordinatus, ob
 » hujus normae executionem sacro patrimonio
 » privatus partim, vel omnino remaneat, nullam
 » ob id suspensionem incurrat, nec ecclesiasticis
 » obnoxius poenis evadat: — tertio tandem, ut si
 » ante hujus decreti emanationem aliquae pen-
 » siones in toto, vel in parte solutae fuerint in
 » majori quantitate, quam ea quae in hac generali
 » norma constituitur, nullum ex hac ipsa norma
 » jus oriatur ad eas veluti indebitas repetendas,
 » aut in ratas futuras supputandas. — Haec omnia
 » Sanctitas Sua voluit, statuit, atque decrevit.
 » Contrariis quibuscumque etiam speciali ac indi-

Sumario de abso. voluntatis

» vidua mentione dignis non obstantibus. » — In
 hoc decreto ratio aequissima dispositionis desu-
 mitur ex hoc, quod Beneficarii hisce temporibus
 passi sint non modicam reddituum diminutionem,
 eamque jugem, ita ut haud amplius oneribus fe-
 rendis pares se esse existimaverint, et illud vel
 maxime grave eis in talibus angustiis positis visum
 sit, ut ad pensionum solutionem urgerentur; quae
 pensiones in actu collationis legitime eis impositae
 sunt. Istorum autem reddituum diminutionem ob re-
 rum vicissitudines bona beneficiorum in Italia passa
 sunt. Ergo — 1^o ratio decreti est diminutio non
 modica reddituum: — 2^o et quoniam legitimae et
 portabiles erant pensiones in actu collationis im-
 positae, quae hodie ex aequitate illegitimae et im-
 portabiles sunt, debent intelligi illae reddituum
 diminutiones, quae respiciant redditus existentes,
 seu computati tempore collationis beneficiorum: —
 3^o unde si ex talibus redditibus habetur diminutio,
 tunc locum habet decretum; secus non habet ap-
 plicationem: — 4^o decretum autem hoc principium
 statuit, ut amissio, vel diminutio reddituum bene-
 ficiorum in communi Beneficiarios ac Pensionarios
 afficiat, nullo facto inter ipsamet beneficia et pen-
 siones discrimine; ita ut praefatis redditibus immi-
 nutis, vel amissis, habita proportione imminui etiam
 pro rata debeant aut cessare pensiones: — 5^o de-
 mum pro Ecclesiis parochialibus et episcopalibus,
 nempe pro beneficiis curatis et pro episcopalibus
 mensis antiquum privilegium Concilii Tridentini

confirmatur. — Unde ut dignoscatur, an hoc decretum habeat, vel non, applicationem non est videndum, an super bonis beneficialibus habuerint locum graviores taxae nec ne, vel lex conversionis ab italico Gubernio statuta praejudicium intulerit; sed si redditus beneficii iidem moraliter perseverent ac erant tempore collationis, vel potius non modice diminuti fuerint; si enim ex hominum pessima voluntate taxis gravati isti redditus fuerint, sed ex altera parte ex temporum adjunctis et conditione ea augmenta persenserint, ut utrinque computatis diminutionibus et augmentis, pares moraliter perseveraverint redditus, ac erant tempore impositae pensionis; nulla ratio est diminuendi pensiones, quae legitime perseverant, sicut a principio legitime sunt impositae.

7.^o Pensionis autem capax est quisque Clericus, dummodo non sit conjugatus, aut excommunicatus, vel suspensus; sufficit vero aetas septennio major, ut relata quoque decisione S. Congregationis probat Fagnanus in *cap. 7^o num.^o 102 de elect.*: in privilegiis quoque pensionarius comparatur Beneficiatis, prout idem Fagnanus docet *loc. cit.^o num.^o 103.* — Quoad obligationes vero dicendum est Pensionarios teneri ad recitationem officii parvi B. Mariae Virginis ex Constitut. Pii V « *Ex proximo.* » Tenentur pariter incedere in habitu et tonsura si pensio, vel pensiones simul sumptae excedunt valorem sexaginta ducatorum auri de Camera ex Constitutione Sixti V « *Cum sacrosanctum* » diei 9 Ja-

nuarii 1589, et altera « *Pastoralis* » diei 31 Januarii ejusdem anni; ita ut si monitus Clericus ab Episcopo, ut habitum et tonsuram gerat, non obdierit, pensionem amittat. — Plura advertenda sunt circa cessationem pensionis praeter ea, quae superius diximus de ejus reductione, et etiam extinctione ex non modica diminutione reddituum beneficii. Pensio enim cessat — 1^o si Pensionarius in minoribus existens matrimonium contrahat; namque hic privatur quibuscumque emolumentis clericatus cum limitatione apposita in *tit. III hujus libri* quoad privilegium canonis et fori, servatis conditionibus. — 2^o Per crimen haeresis, laesae Majestatis, vel Apostolicae Sedis, per percussionem Cardinalis, aut Episcopi, in cujus Dioecesi pensio est ex *cap. 9^o de haeret.*, *cap. 5^o de poen. in VI^o* et *Clement. 1^a de poen.* — 3^o Per remissionem perpetuam pensionis, quae aequivalet renuntiationi beneficii; at non est necessaria venia Episcopi vel Pontificis concedentis pensionem, ut est necessaria acceptatio in renuntiatione beneficii; quia beneficium importat sacrum officium, a quo non recedimus sine Superioris licentia. — 4^o Cessat pensio, si Pensionarius illud beneficium, super quo est imposita, de jure consequitur; sicut cessat usufructus acquisita rei proprietate. — 5^o Per promotionem pariter ad Episcopatum residentialem, post possessionem adeptam, exceptis Episcopatibus suburbicariis, ut fuit decisum a Congregatione deputata sub Alexandro VII.^o — 6^o Per pro-

*extinguenda pensio ex 1^o eccl. non dicitur
ex 1^o eccl.*

fessionem religiosam, ^{pro causa solemnata} ut tenent communiter Auctores. — 7° Per ingressum in militiam, postquam quis monitus eam non dereliquerit, cum talis omnibus privetur clericalibus privilegiis. — 8° ^{non censetur} Per mortem, nisi possit resignare in favorem alterius. — Quod pertinet ad translationem, seu resignationem pensionis in alterius favorem, advertendum est, eam fieri posse indulto solius Papae: et hoc indultum conceditur omnibus S. R. E. Cardinalibus, ut pro medietate pensionem transferre possint, et aliis quibus peculiare indultum conceditur ex Constit. Innocentii XI « *Circumspecta* » diei 7 Februarii 1677. Notat vero Card. De Luca *De Pensionibus discurs. 66*, quod si Indultarius ultra medietatem transferret, vel summam permissam, translatio non esset nulla; sed solum maneret vitiata in excessu, sicut per translationem invalidam non remaneret consumpta facultas transferendi, *Monacell. tom. 2° tit. 14 form. 7.ª* — Fit translatio coram quibuscumque in ecclesiastica dignitate constitutis etiam Canonicis Cathedralium, exhibendo indultum. At Cardinales id faciunt indulto non exhibito, et coram Notario et testibus, ut habet De Luca *loc. cit.º* sicut fit quoque in mortis articulo et per Procuratorem, dummodo persona, in quam est pensio transferenda, sit certa et nominata ab Indultario, atque fiat translatio in Clericum, qui unice est capax recipiendi pensionem. — 9° Deperditur pensio si ante expeditionem litterarum Apostolicarum fuerit exacta, stante decreto in concessione pen-

sionis apponi solito, ut ea exigatur « vigore Litterarum Apostolicarum desuper conficiendarum, » nec ante; alias praesens reservatio sit nulla. » — 10° Vendi non posse pensionem absque crimine simoniae receptum pariter est apud Auctores, quia haec venditio tituli alienationem includeret; sicut pariter non posse ad longum tempus ejus exactio- ^{si ultra 9-} nem locari, obstante *Extravagante Ambitosae inter commun. de rebus Ecclesiae alienandis, vel non.* — 11° At vicissim potest redimi pensio anticipatis solutionibus tantum cum venia Summi Pontificis, ut apud omnes Doctores est exploratum. Qua de re tamen hodie attendenda est dispositio Constitutionis Benedicti XIV, quae incipit « *In Sublimi* » diei 29 Augusti 1741; in qua animadvertens Summus Pontifex plerumque pacta simoniaca in permutatione beneficiorum per repraesentatam pecuniam latere sub constitutione pensionis, quae deinceps anticipatis solutionibus esset redimenda, statuit « omnia hujusmodi pacta, et conventiones pro cessatione, seu abolitione pensionum per anticipatas, » vel anticipandas solutiones contemporanee ad resignationes beneficiorum, cum reservatione pensionis, per quascumque personas, quavis dignitate, honore, ac praeceminentia insignitas inita, » tanquam a sacris canonibus, et Apostolicis Constitutionibus improbata, et simoniacam labem redolentia, nulla, cassa ac irrita esse; et omnes cassationes, abolitiones, et extinctiones pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex

» menses, a die captae possessionis beneficii per
 » Resignatarium computandos, fieri contigerit,
 » etiam si nullum praecedens pactum intervenisse
 » inter partes probari possit, et cassatio praedicta
 » secuta sit vigore supplicationis manu nostra,
 » vel Romani Pontificis pro tempore signatae,
 » quam nullatenus, tamquam per subreptionem,
 » et fraudes obtentam, neque in iudicio, neque
 » extra, ad ullum effectum eis suffragari volumus,
 » irritas, nullas, et inanes esse, ac omnibus vi-
 » ribus, ac effectu vacuas, et quatenus opus sit,
 » motu, scientia, et deliberatione simili, deque Apo-
 » stolicae Potestatis plenitudine, tenore praesen-
 » tium damnamus, revocamus, annullamus, cas-
 » samus, et abolemus, et insuper tam Resignantem,
 » quam Resignatarium ab omni jure beneficii de-
 » cidisse, eosque ipso facto, absque alia declara-
 » tione, vel iudicis sententia, privatos, et ad alia
 » obtinenda inhabiles esse, ac fore, et a quocumque
 » beneficium hujusmodi, tamquam de jure, et de
 » facto vacans, impetrari posse; et praeterea Resi-
 » gnantem ad restituendas pecunias pro cassatione
 » pensionis hujusmodi indebite, et simoniace per-
 » ceptas, quae arbitrio Ordinarii erunt piis locis
 » applicandae, vel pauperibus personis distribuen-
 » dae, sub peccato gravi teneri, et ecclesiasticis
 » remediis, ac poenis, si renuat, ipso jure, absque
 » alia scientia, et declaratione, cogi posse, motu,
 » scientia, et potestate pari decernimus, et decla-
 » ramus. »

I.
 1.º quid veni non ecc
 2.º ————— ecc
 3.º ————— alienationis

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiae alienandis, vel non.

1.º Antequam ad quaestiones, quae in hoc titulo proponuntur resolvendae, accedamus; nonnulla praemittenda sunt ad habendum verum rubricae intellectum. — Rerum nomine hic non veniunt nisi illae, quae valoris et pretii capaces sunt, quippe quae possunt esse materia alienationis, et contractuum. Istaes autem in plures dispescuntur species. Sunt enim — 1.º aliae incorporales, aliae corporales, prout sunt jura, servitutes, obligationes, etc. quae aestimationis capaces sunt, quamvis in se ipsis spectatae sensibus subjectae non sint; vel potius sub sensibus cadunt, ut aedes, fundi, pecunia etc. Res vero corporales — 2.º aliae sunt immobiles, aliae sunt mobiles, aut semoventes. Immobiles sunt omnes fundi urbani et rustici: se-

moventes sunt animantia omnia, quae Ecclesiae aut personarum ecclesiasticarum usui sunt destinata; mobiles demum, quae de loco ad locum transferri possunt, salva earum substantia. — 3^o Istae autem res mobiles, aliae sunt, quae *servando servari non possunt*, vel quae *servando servari possunt*, prout *brevi tempore* corrumpuntur, aut *longo tempore* in sua bonitate et usu subsistunt; et primi generis sunt fruges, vinum, omnesque terrae et arborum fructus; alterius vero generis omnia alia mobilia. — 4^o Omnes porro istae res corporales aliae sunt *pretiosae*, aliae *non-pretiosae*. — In rebus corporalibus immobilibus eae non-pretiosae censentur, ac proinde absque beneplacito Apostolico possunt alienari, quae non superant valorem viginti quinque ducatorum aureorum de Camera, quae aequivalent scutis romanis quadraginta uno et obulis 25, prout S. Congregatio Episcoporum et Regularium respondit Episcopo Terracinensi *die 1^a Maii 1840*, *protocollo num.º 7523*, ibi: « Servanda esse decreta » S. Congregationis EE. et RR. *diei 22 Martii 1611*, » et S. Congregationis Concilii in *Baren. diei 12 » Aprilis 1698*, nempe: non posse Episcopum » concedere facultatem ultra viginti quinque scuta aurea de Camera; ac propterea S. Congregatio facultates concedit Episcopo oratori » nandi ac revalidandi contractus, quos ultra enunciatam summam juxta preces permiserit. » Si autem in aliqua Dioecesi ex centenaria, vel saltem quadragenaria consuetudine considerata sint im-

16 Julii 1827 c. c. lib. 8
neque reliqua alienari possunt

mobilia non-pretiosa, quae non excedunt pretium *quinquaginta* scutatorum romanorum, et actum frequentia fuerit comprobatum, quod pro alienatione talium bonorum non est requisitum beneplacitum Apostolicum, sed sufficiens fuit venia episcopalis, S. Congregatio Concilii hanc consuetudinem admisit; nam in Forosempronensi visitationis SS. Liminum *die 21 Julii 1827* interrogata: « An sit probanda consuetudo centenaria, aut quaedragenaria, qua Episcopi veniam tribuere consueverunt alienandi bona ecclesiastica romanorum scutatorum quinquaginta non excedentia aestimationem in casu, » respondit: « *affirmative.* » — Bona vero mobilia pretiosa illa censentur, quae vel in Thesauro Ecclesiae continentur, ut ait Ferraris in *Bibliotheca v. Alienare, Alienatio*, vel quae propter artem, raritatem et antiquitatem conferunt Ecclesiae specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosae, gemmae, ornamenta pretiosa, copiosa Bibliotheca librorum, et similia excedentia valorem *viginti quinque aureorum*, ut declarasse S. Congregationem referunt Valdes, et alii apud Donatum *tom. 1º tract. 14º quaest. 48ª*, nec non insignes reliquiae Sanctorum, quia etsi pretio non aequantur, sunt tamen supra omne pretium. Item illa mobilia (aut se moventia) ex quorum fructibus annui redditus solent percipi ab Ecclesia, seu Monasterio, ut grex ovium, armentum boum, praesepium equorum, non

» autem eorum fructus, cum licitum sit vendere, » et alienare arietes, haedos, vitulos, equos, et » hujusmodi. Item arbores frugiferae etc. » — Ad res mobiles pretiosas refertur numerata pecunia, quae vel specialiter deputata est ad emenda bona immobilia, vel ad Ecclesiam aedificandam, aut pro gravissimis futuris necessitatibus reservata est ex *arg. leg. 3^{ae} § quid ergo Digestor. de contrar. et util. action. tutelae*, non vero illa pecunia, quae pro quotidianis usibus destinatur, aut quae provenit ex fructibus fundorum.

2.^o Sub nomine Ecclesiae in hac materia favorabili, quae ejus indemnitate respicit, veniunt non modo loca ad Dei cultum destinata, sed etiam quaecumque loca pia, aut destinata ad opera exhibenda caritatis christianae ex Episcoporum auctoritate aliorumque Praelatorum: seu melius veniunt omnia bona, quae dicuntur spectare ad patrimonium Ecclesiae, prout cum communi Doctorum tenet hic Pirhing *num.º 4.º* Ita intelligendi sunt omnes canones loquentes de vetita, vel permissa alienatione rerum ad Ecclesiam pertinentium, ut comprehendant omnia bona ecclesiastica. — Alienationis pariter nomen hic latissime sumitur, ut comprehendat quoscumque contractus, quibus vel dominium directum, vel etiam utile tantum, aut aliud jus in re transfertur, prout habetur ex *cap. 5^o h. t.º ex Clementin. extravag. 1^a h. t.º, et extravag. unic. inter commun. h. t.º*, cum ex talibus contractibus laedatur jus ad Ecclesias per-

Sides non tantum donatio, venditio sed etiam emphyteusis, hypoth. pignus - locatio veluti § 1º C. 15

tinens. Hinc constitutio servitutis praesertim realis fieri non potest in re ad Ecclesiam pertinente, prout cum communi Doctorum tenet Pirhing *h. t.º num.º 10*. Inter quas servitutes est etiam interdicta hypotheca specialis ex *cap. 5^o h. t.º*, quae plus gravat quam hypotheca generalis. Quia tamen haec regula est de damno vitando, non autem de lucro captando, ita ut eos percellat, qui patrimonium Ecclesiae depauperant, non vero eos, qui illud non augent; hinc statim intelligitur huic regulae eos non contravenire, qui haereditatem, vel legatum rejiciunt, quo res immobilis, vel mobilis pretiosa Ecclesiae, aut Monasterio relicta est. Etsi enim talis repudiatio possit esse irrationabilis, et Praelatus possit etiam teneri ad id supplendum, de quo Ecclesiam defraudavit, imo et in hoc Ecclesia habeat restitutionem in integrum, prout communiter docetur ex *cap. 1^o de in integr. rest.º*: nihilominus reus non est alienationis factae in praedictum ejusdem Ecclesiae, nec poenas incurrit a canonibus contra hos comminatas, cum non diminuerit patrimonium Ecclesiae.

3.^o Quibus animadversis, dicendum est: — primo res Ecclesiae mobiles, quae servando servari non possunt, posse libere alienari, cum ipsa alienatio Ecclesiae sit utilis, secus istae res corrumpentur, et pretium amplius non haberent. Imo alienatio earum videtur necessaria, ne Ecclesiam ex earum corruptione detrimentum pati contingat. Quod idem advenit in rebus praesertim se-moven-

tibus, puta ovibus, bobus, equis etc., quae licet cum armentum vel gregem efficiant alienari *cumulative* non valeant, possunt tamen et debent *distributive*, ne propter senium pereant, et habeatur detrimentum, si mori contingat, prout post consuetam aetatem fieri censendum est; et in locum venditorum, alia animantia sunt proponenda. Quemadmodum id intelligendum est de arboribus cum ad maturitatem pervenerint, quod possint caedi, aliis in earum loco insertis. — Secundo, quod spectat ad alias res Ecclesiae, dicendum est eas non posse in universum alienari, nisi propter justam causam, et haec est vel necessitas ex *Clementin. 1^a h. t.^o*, vel utilitas manifesta ex *cap. 8 § fin. h. t.^o*, aut demum pietas ex *can. Aurum caus. 12^{ae} quaest. 2^a in decreto*. A nonnullis Auctoribus quarta causa recensetur esse incommoditas, seu inutilitas rei, ut habetur *can. 20, can. 52, et can. 53 caus. 12 quaest. 2^a in decreto*. Sed haec causa recidit in secundam, seu in evidentem utilitatem; nam haec alienatio id importat, ut loco rei, quae nullum, aut fere nullum fructum affert, aut quae exigit plures expensas pro fructuum collectione, habeatur pretium, quod utiliter impensum valet Ecclesiae esse maxime et evidenter utile. — Praeter causam justam, ad alienationem rite faciendam requiruntur solemnitates juris. Antiquitus solemnitates juris in hoc consistebant, quod Episcopus teneretur exquirere, et obtinere Cleri, vel Capituli consensum, et eorum, qui interesse habe-

rent in ea re alienanda, vel non, prout eruitur ex sensu contrario *can. 53 caus. 12 quaest. 2^a in decreto*, et ex *Clementin. 2^a h. t.^o* At hodie post textum Extravagantis *Ambitiosae, unic. inter communes h. t.^o* solemnitas est beneficium Apostolicum. Quaesitum est, an haec solemnitas antiquis solemnitatibus sit superadjuncta, vel potius loco earum inducta? Et dicendum est in praxi eam potius habendam esse ut adjunctam; nam solet S. Sedes, quoties ejus beneficium pro alienatione requiritur, praevium Rescriptum concedere, ut audiatur Capitulum ad ejus consensum reportandum, et audiantur omnes interesse habentes. At si irrationabilis sit Capituli dissensus, ut pariter si interesse habentium votum sit contrarium, sed irrationabiliter, tunc S. Sedes plerumque suum beneficium impertitur, supplendo istas antiquas solemnitates, seu non-obstante hoc dissensu. At antequam concedatur hoc beneficium Apostolicum, quod spectat ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, in praxi convenit, ut praemittatur ex jussu ejusdem Congregationis aestimatio rei alienandae a viro perito, et edicta licitationis ad oblationes recipiendas in tribus experimentis, nempe *primae oblationis*, deinde experimentum *sextae*; post quae, constituto de utilitate alienationis, datur beneficium Apostolicum in forma commissaria Ordinario loci pro ea alienatione. Haec omnia clarissime et fusissime expo-

cap. 8 § fin. h. t.^o
can. 20, can. 52, et can. 53 caus. 12 quaest. 2^a in decreto
can. 53 caus. 12 quaest. 2^a in decreto

nuntur in Libello « *Praxeos Regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos, Romae 1865.* » Servatur autem haec regula in alienatione rerum immobilium et mobilium pretiosarum, excepta suppellectili sacra, in cujus alienatione non praescribitur publica licitatio, sed beneplacitum Apostolicum venit sub clausula « *pro alienatione, majori quo fieri poterit pretio, non tamen minori a peritis taxato, vel taxando.* » Quae solemnitates locum habent etiam quando alienatio fit favore alterius Ecclesiae, seu causae piae, ut tenet praxis Romanae Curiae argumento satis valido juris suffulta. — Quod in Rescriptis beneplaciti Apostolici communiter praecipitur illud est, ut pretium alienatae rei investiatur; et jure quidem, ne patrimonium Ecclesiae imminuatur. — Investimentum autem definiri potest: « Legitima pecuniae » collocatio in praediorum emptione, vel in juris » percipiendi fructus comparatione. » Ex qua definitione praelaudatus Auctor haec deducit, et probat consecretaria, nempe: — (α) Investimentum dici non posse, ubi non acquiratur novum praedium, vel jus aliquod ad fructus percipiendos. Unde proprie non est investimentum fundos ecclesiasticos reficere ac meliorare, sed tantum jam possessos conservare et augere, quod pertinere ad Beneficiatos ex liberis redditibus nemo est, qui denegare valeat; et si non sufficiunt, recurrendum erit ad S. Sedem pro debiti contrahendi facultate, quod annuis ratis deinde extinguatur. Quapropter si ali-

quando pretium retractum ex indulto pro tali opere impendi potest, annuis ratis pariter debet sic expensa summa reintegrari. — (β) Investimentum fieri mediante contractu, in quo pecunia solvitur pro praediorum, vel juris alicujus comparatione, et non pecuniae distractu sine hujusmodi acquisitione. Hinc pretium hoc dispendere in debitorum, vel censuum extinctionem, non est investimentum, cum debitorum cessatio, et redemptio vel extinctio censuum fieri debeat fructibus beneficiorum et Ecclesiarum. Et si quandoque S. Congregatio EE. et RR. in actuali defectu reddituum pecuniaria capita in urgentem extinctionem debitorum erogari permittat, expressam legem imponit, summas ita erogandas, depositis annuis ratis pariter esse in posterum reintegrandas cum redditibus sufficientium fundorum, ut deinde in tuto et fructifero investimento iterum collocentur; ut de hac praxi jam suo tempore vigente loquitur Cardinalis Petra in *Comment. ad Constitut. Apost. tom. 5^o sect. 5^a num. 19.* — (γ) Investimentum proprie dictum *primario* fieri et communiter *in stabilibus tutis et fructiferis, secundario* dumtaxat et in subsidium *in censu.* Stabilia vero tuta sunt praedia rustica pleni ac liberi dominii; minus idonei fundi reputantur emphyteutici, censuales, fidei commissarii, molendina, vel domus, quia sunt in continuo periculo; et inter fundos rusticos praelationem habent prativi et sativi. In defectum autem fundorum rusticorum indicantur urbani. Investimentum in cen-

Quaest. 27. 1865.

sibus a S. Congregatione generice non probatur, ut ex Responso ad Episcopum Clusinum anni 1815, et alio ad Vicarium Capitularem Anconitanum ejusdem anni. *In censu* directe et primario permittitur investiri summa, quae retrahitur ab extinctione alterius census, quia conditionem suam Ecclesia deteriore non facit. Quin imo summa retracta ex venditione mobilium, vel immobilium, si adnexum habeat onus perpetuum Missarum, ex decreto S. Congregationis Concilii auctoritate Urbani VIII edito *sub die 27 Junii 1625* debet deponi apud Aedem Sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illam quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua oneris adnexi mentione: a qua decisione seu decreto non recedit S. Congregatio Concilii, teste Cardinali Petra *opere et loco citato*, « nisi in casu aliquo speciali pro investimento ad censum, si stabilia non reperiantur » post adhibitas diligentias. » Ex quibus arguitur non esse nec juxta canones, nec juxta praxim Congregationum quod talia pretia investiantur in emptione reddituum ab aerario publico constitutorum, vel in publicis mensis nummulariis, aut in capsis publicis, etsi permissum fuerit hisce ultimis annis, ut investirentur in schedis debiti publici pontificii nominalibus ex facultate in casibus particularibus obtenta. Hodie vero ex relata lege italica etiam in hoc gravatur Ecclesia, ut quascumque pecunias investire non valeat nisi in

censibus, vel in comparatione reddituum aerarii publici.

4.° Extravagans autem citata contrafacientes multipliciter plectit. Primo enim contractus hujusmodi *nullius omnino sunt roboris vel momenti* juxta textum ejusdem. Neque dicendum est illum contractum saltem valere in foro interno, si Ecclesia in pretio laesa non est, ut tenent Reiffenstuel hic *num.° 53*, Schmalzgrueber hic *num.° 173*, aliique; nam adhibitio solemnitatum est constituta ut *forma substantialis* contractus. Neque instant eam esse inductam ad fraudes cavendas, quae in casu non verificarentur; nam lex hic procedit ex praesumptione generali; quae etiamsi in casu non verificatur, tenet tamen lex etiam pro illo casu, ut leges de vetita lectione librorum pravorum, quae obligant in conscientia eos quoque, qui ex tali lectione non depravantur; sicut etiam lex de abolitis matrimoniis clandestinis, aliaeque plures. Quod confirmatur ex natura sanctionis, nempe censurarum, quas incurrunt alienans et emens, a quibus ex *cap. 2° h. t.° in VI°*, et *cap. 6° h. t.°* non possunt absolvi, nisi postquam reddita res Ecclesiae sit.—Alienatio haec potest et debet etiam per successorem in beneficio, vel administratione revocari ex *cap. 2° de precar.*; imo et per Praelatum alienantem effici id valet ex *Glossa v. alienator in cap. 6° h. t.°*, in quorum defectum veniunt Clerici quilibet Ecclesiae detrimentum passae ex *cap. 6° h. t.°* Imo si dicti Clerici id scientes

non renuntiant, puniuntur ex *cap. 2^o h. t.° in VI*. Actio quoque competit Ecclesiae laesae contra Praelatum male alienantem, ut damnum reficiat ex *can. Monemus caus. 12 quaest. 2^a*, et ex *Glossa in cap. 6^o h. t.° v. alienata*. Habet quoque actionem *in rem* contra possessorem quemcumque, ut restituat rem cum fructibus ex *d. cap. 6^o § fin. h. t.°* — Altera animadversio est Extravagantis, ut « *tam qui alienat, quam is, qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* » Si autem alienans Episcopali, vel Abbatiali dignitate praefulgeat, ipso jure interdicti sint ab ingressu Ecclesiae; et si in interdicto per sex menses maneant, ab administratione, et regimine Ecclesiarum, et Monasteriorum sint ipso jure suspensi. Quae censurae non incurruntur, si actus est *imperfectus*, seu non-completus, aut si *bona fides* sit, sive *ignorantia probabilis*. Verum quod pertinet ad has censuras attendendus est articulus III *Excommunicationum latae sententiae nemini reservatarum* in *Constitut. « Apostolicae Sedis,* » qui sic se habet: « Alienantes et recipere » praesumentes bona ecclesiastica absque bene » placito Apostolico ad formam Extravagantis *ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis: » per quem textum maxime comprobantur ea, quae diximus de consummatione actus alienationis ad censuram incurrendam, et de excusante bona fide, vel ignorantia probabili. Sed deinde cum in eo textu nullum verbum sit de interdicto ab Episcopis,

et Abbatibus incurrendo, dicendum est istud cessasse, et Episcopos et Abbates nullam censuram incurrere, quia censura excommunicationis servata est *ad formam Extravagantis ambitiosae*, quae non comprehendebat Episcopos et Abbates; et pariter hodie non est reservata absolutio. — Demum ex textu ejusdem Extravagantis Clericus alienans privatur *ipso jure* beneficio, vel dignitate in ea Ecclesia, cujus bona alienavit.

5.° Haec tamen Constitutio requirens beneplacitum Apostolicum plures facit exceptiones. Primam jam retulimus de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia. Altera est *de casibus a jure expressis*. Casus isti a jure vel *expressi* habentur *negative*, id est *non-reservati*, vel *positive*: casus a jure *negative* expressus est de rebus mobilibus non-pretiosis; ut enim advertit Schmalzgrueber hic *num.° 38*, « canones, qui prohibent rerum Ecclesiae alienationem, solas res immobiles, et mobiles pretiosas exprimunt, prout patet ex *cap. » nulli h. t.°*; et hinc quod non reperitur prohibitum, regulariter intelligitur concessum. » Et *num.° 61 ac 62* subjungit alios casus a jure *negative* expressos esse, quando ad alienationem devenitur ex necessitate *juris*, vel *facti*: ex necessitate juris — 1° in casu, quo legatur, vel donetur res immobilis Ecclesiae, seu Monasterio, quod ex instituto non est capax acquirendi res immobiles nisi ad effectum vendendi, ut sunt Patres Cappuc-

cini etc. — 2° si immobilia donata sunt a testatore cum injunctioe ea vendendi: — 3° quando adest praeceptum judicis pro certa re alienanda. — Ex necessitate autem facti, cum alienatio moram non patiat. Id autem non ita cuique Rectori Ecclesiae permissum est, nisi habeat Ordinarii licentiam, quam in omni casu habere debet; sed hoc sub respectu, ut aliae solemnitates juris, et praecipue Apostolicum beneplacitum non requiratur, ut optime advertit Benedictus XIV *Institut. Ecclesiast. 69 num.º 6 et seqq.* — Exceptio juris positiva habetur in canone 45 Concilii Agathensis relato a Gratiano *can. 53 causae 12 quaest. 2ª*, ibi: « Terrulas et vineolas exiguas et Ecclesiae minus utiles, aut longe positas parvas Episcopus sine consensu Fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat facultatem. » — Ad cujus exceptionis intellectum sequentia notanda sunt: — (a) sub hac exceptione venire res immobiles non-pretiosas, et valorem taxatum retulimus in antecessum; at notandum est cum Ventriglia *Praxis fori ecclesiast. tom. 1º adnot. 1ª § 2º num.º 3º*, limitationem pati dispositionem praefati canonis, « ut illius vigore non possit alienari modica pars magni praedii Ecclesiae; quia si hoc permitteretur, paulatim possent alienari omnia praedia Ecclesiae contra, et in fraudem Extravagantis Ambitosae. » — (b) Huic autem canoni non fuisse derogatum neque ab Extravagante *Ambitosae*, neque a Concilio Tridentino

non supra 50 locato arguere.

sess. 22, et sess. 25 cap. XI fuisse decisum a S. Congregatione Concilii sub *die 11 Januarii 1596* refert Fagnanus in *cap. Nulli num. 25 h. t.º* — (c) Hanc facultatem competere Episcopis, imo et Abbatibus vere *Nullius*, ut decisit S. Congregatio Concilii sub *die 17 Novembr. 1703*. Competere quoque, Sede vacante, Vicariis Capitularibus, qui tamen his facultatibus uti nequeunt circa bona mensae Episcopalis vacantis, ac vacantium Ecclesiarum et beneficiorum, prout id etiam verificatur in aliis supradictis Praelatis circa bona beneficiorum vacantium, quia ex *cap. Novit. Ne Sede vacante aliquid innovetur*, non possunt haec bona, tempore vocationis beneficii alienari, ut optime advertit S. Congregatio Episcoporum et Regularium Vicario Capitulari Pontiscurvi sub *die 14 Junii 1788*. Non competit vero aliis Superioribus Regularibus etiam majoribus, prout rescripsit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in *Silvestrina* Episcopo Nucerinò sub *die 10 Januarii 1653*; tenentur proinde isti petere licentiam ab Ordinario loci, intra cujus fines positum est Monasterium, ut advertit Monacelli *Formul. Eccles. tit. 5º form. 15 num. 28* fuisse pluries decisum a SS. Congregationibus. Imo cum nonnulli Ordines Regulares haberent privilegium alienandi bona absque beneplacito Apostolico, facta speciali derogatione tum Extravaganti *Ambitosae*, tum *Clementinae 2ª h. t.º*, Urbanus VIII *die 7ª Septembris anni 1624* per organum S. Congregationis Con-

cilii edidit decretum, quo fuerunt ista privilegia *intra fines Europae* irrevocabiler sublata. Si quae proinde hodie velint Regulares allegare privilegia, ea debent esse hoc decreto posteriora. — Tertia exceptio in Extravagante *Ambitiosae* est « de rebus » ac bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate. » Haec tamen limitatio hodie non procedit; nam uti constat ex rescripto S. Congregationis Episcoporum et Regularium Episcopo Verulano *anno 1816*, cum experientia ostenderit tales contractus esse locis piis praejudiciales, sin minus non evidenter utiles, S. Congregatio jam ab antiquo, scilicet post Constitutionem Pii V « *Admonet nos*, » et motum proprium ejusdem « *Volentes*, » et Constitutionem Urbani VIII non recognovit amplius talem exceptionem, eaque bona in emphyteusim concedi solita respexit ut non excepta, sed potius opus esse in novo contractu beneplacito Apostolico. Quin imo pro quovis contractu emphyteutico, si emphyteusis est perpetua, etiamsi res taliter concedenda sit minimi valoris, et canon valde tenuis, non potest iniri, nisi praevis Beneplacito Apostolico, ut tenuit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, prout ex *instructione data Episcopo Anagnino anno 1760*. Cardinalis Petra in *Commentar. ad Constitut. Apostolic. tom. 5^o sect. 2^a num. 69* demonstrat hanc praxim esse antiquiorem; et suo tempore vigere, quod daretur beneplacitum Apostolicum aut *per Breve*, aut *per Bullam*. Et revera

Secretarius S. Congregationis praeaudatae *anno 1826* retulit Leoni XII. S. Congregationem in concedendo hoc beneplacito Apostolico servasse semper praxim ut expediretur *Breve* quando in emphyteusi temporaria canon excederet summam undecim scutatorum cum dimidio; quod si canon superaret summam decem scutatorum aureorum de Camera in emphyteusi temporanea, vel quicumque esset etiam minimus in emphyteusi perpetua per Datariam expediretur *Bulla*. Hodie vero in emphyteusi temporanea et perpetua praescribitur *Breve* ex concessione Pontificis facta praedictae relationi *die 20 Januarii 1826* si canon superat *viginti quinque scutata*; praescribitur autem *Bulla* si superat *quingenta scutata*.

6.^o In dicta Extravagante cum interdictae sint locationes et conductiones bonorum ecclesiasticorum *ultra triennium*, nonnulla quoad rectum intellectum ejus notanda sunt. Et primo advertendum est cum Fagnano in *cap. Nulli num. 43 h. t.* hanc prohibitionem non habere locum, quando ex fundo locato percipiuntur redditus, vel fructus quolibet tantum biennio, vel triennio; tunc enim locatio fieri potest etiam ad sexennium et respective novennium, cum dicta Constitutio respiciat dumtaxat fructum triennalem, non temporis spatium. Advertitur insuper contraveniri posse huic praescriptioni dupliciter, nempe vel faciendo locationem ad longius tempus, puta sexennium, novennium et ultra; vel faciendo locationem ad triennium cum

pacto renovationis ad secundum triennium, nisi denunciatur cessatio. Prima evidenter est contra textum decretalis: alteram autem continere fraudem contra eandem Extravagantem non semel edixit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, praesertim in *Epistola ad Episcopum Perusinum anno 1763 die 20 Maii*, ut in registro Episcoporum, et in *Epistola ad Vicarium Capitularem Viterbiensem die 12 Septembris 1783*; pacta proinde ista nequeunt apponi, quemadmodum neque valet apponi favore conductoris pactum praelationis in casu renovationis contractus, prout vetuit S. Congregatio EE. et RR. in *instructione ad Ordinarium Sarsinatensem sub die 27 Januarii 1863*. — Quaeritur nihilominus, an tales locationes valeant ad primum triennium? Et videtur probabilius esse in secundo casu valere locationem ad primum triennium; namque « in separabilibus utile per » inutile non vitiatur; et in proposito tempus per » missum separari potest a prohibito, » ut monent Doctores citati a Garcia *De Beneficiis part. 2^a cap. 1^o num. 51*. Accedit in talibus conventionibus irritari et reprehendi pactum de renovando; sed pactum non respicit nisi alterum, aut tertium triennium, non vero primum; hoc ergo triennium primum non irritatur, sed valet, cum tot sint distinctae locationes quot sunt triennia, licet connexae cum hoc pacto renovationis, et vitium non sit in prima locatione, sed in sequentibus. Id tamen dici non potest in primo casu, in quo una est conventio,

nempe ad sexennium, vel ad novennium; actus enim est individuus et inseparabilis, ac proinde nullus in totum, ut tenet cum communi Doctorum Garcias *loc. cit. num. 53 et seqq.* — Praeterea notandum est dictam Extravagantem habere locum non solum in locationibus rerum et bonorum, seu praediorum beneficii et Ecclesiae, sed etiam in locationibus fructuum et reddituum; nam fructus et redditus beneficii, seu Ecclesiae sunt res et bona ecclesiastica, cum ab Ecclesia proveniant, suntque ejus Ministris assignata propter divinum ministerium, ut teste Garcia *loc. cit. num. 86* decisum fuit a S. Rota in una *Comen. Locationum die 20 Maii 1600 coram Pamphilio*; nempe quod *sicut Ecclesiae bona non possunt locari ultra triennium, ita nec fructus*: quae pariter est mens S. Congregationis. — Pariter locatio fieri nequit *anticipatis solutionibus* in praejudicium successorum ex expresso vetito Concilii Tridentini *sess. 25 cap. XI de reform.* Quemadmodum nec vendi possunt fructus beneficii ad vitam Beneficiati, neque ad longum tempus sub iisdem poenis, ut patet ex Constitutione Benedicti XIV « *Universalis Ecclesiae* » *diei 19 Augusti 1741*. Nec demum vendi possunt redditus pensionis ecclesiasticae *repraesentata pecunia* ex decreto S. Congregationis EE. et RR. *sub die 12 Martii 1840*. — Nostris temporibus in Italia occasione legis civilis jam memoratae de redimendis bonis pertinentibus ad beneficia et Capellanias juris-patronatus, alius inter-

venit casus, quo nonnulli ex Rectoribus beneficiorum, quorum dotem vindicarunt patroni, istis instantibus convenerunt ut pensionem, ad quam jus habebant ex dispositione juris civilis, redimerent anticipata solutione, inconsulta S. Sede, et sic patroni putaverunt se posse libere disponere de iis fundis, super quibus non esset amplius ullum vinculum a jure civili recognitum. Porro quaeritur: an hic agendi modus Beneficiorum sit probandus, vel potius ad quid teneantur?.. Generaliter loquendo dicendum est non posse probari hunc modum procedendi Beneficiorum, quia haec pensio a patronis, qui redemerunt dotem beneficium, praestanda est in locum antiquorum reddituum, quos ex administratis a se fundis percipiebant: aliunde haec pensio, loquendo pariter in genere, est satis tuta, quia pro hac sibi habenda Beneficiarius, vel Capellanus potest hypothecae subijcere universam dotem beneficium; hinc videtur posse huic casui applicari regula; ne scilicet anticipatis solutionibus ea redimatur: et quemadmodum Beneficiarius toto vitae suae tempore debet obire munera, et onera supportare beneficio adnexa; sic pariter habebit annuos pensionis fructus. At aliquando fit, ut patroni hos miseros Beneficiarios adigant ad ineundam compositionem pro tali pensione redimenda, quae nisi cedant, saltem indirecte privantur ejusdem pensionis emolumento. Quid enim si patroni non solvant pensionem? Erit cum ipsis iudicio concertandum, et expensas anticipare satis

graves, et post victoriam completam, erit locus subastationi fundorum, qui dotem beneficium constituunt; quas omnes moras et expensas cum ferre isti nequeant Beneficiari, necessaria videtur conventio cum talibus debitoribus. Hisce in casibus ego putarem quod, consultata auctoritate ecclesiastica, tales conventiones rationabiliter iniri valerent. Si vero quis Beneficiarius ad eam conventionem complendam, inconsultata auctoritate ecclesiastica, temere accederet, quamvis ego eum reprehendendum putarem, tamen non assererem eum in censuras propter hoc incidisse, quia hic casus a lege ecclesiastica non fuit expensus, sed est prorsus extraordinarius, et quia ex expositis aliquando est unicus modus, prospiciendi suis rebus et sustentationi. De caetero hic Beneficiarius non est dicendus ullo modo laesisse jura beneficium, quae intacta semper permanent; cum haec conventio non respiciat nisi redditus vitalitios Clerici; neque patronus valet se tueri tali compositione, cum teneatur bona beneficio conservare, detractis tantum illis expensis, quas occasione redemptionis sustulit. Cum res ita sint, quando Beneficiarius omnem operam impendit, ut retractetur talis conventio irregularis, si patronus nolit ab ea recedere, poterit ille sibi habere dictam pecuniae summam, quae sua est: obligabitur tamen pro tota vita sua beneficium muneribus satisfacere; accepit enim jam retributionem.—Ultima animadversio facienda quoad alienationem rerum ad Ecclesias pertinentium haec

est, scilicet istos contractus validos esse cum solemnitates a jure praescriptae fuerunt adhibitae, et causa adfuit faciendae alienationis; sed hoc non impedit, quominus Ecclesiae competat in integrum restitutio, si in pretio fundi ab ipsa alienati laesa notabiliter fuit. Haec, inquam, restitutio in integrum ei competit ex *cap. XI h. t.*, quia contractus fuit valide initus, nec est alius ordinarius modus declinandi hoc praesudicium.

7.° Hoc sub titulo videtur esse sermo instituendus de usurpatione rerum ad Ecclesiam pertinentium. Usurpatio diversa omnino est a dolosa subtractione; qui enim dolose subtrahit rem a domino, hic suum emolumentum tantummodo quaerit, animumque habet faciendi simplex lucrum, et nullo modo quaerit, saltem directe, minorare jus domini in re furto ablata, sicut etiam in rapina, in qua loco doli adhibetur aperta vis: at qui usurpat non modo dominum privat emolumento suae rei, illudque sibi attribuit, sed etiam praetextum, aut colorem aliquem quaerit, unde noceat, si fieri posset, etiam bono juri domini, in quo consistit vera audacia usurpatoris et praetensio. Cum contra fures et raptores bonorum ecclesiasticorum manserit sanctio legis naturalis, ac etiam positivae ecclesiasticae in casibus particularibus, prout est exclusio a privilegio asyli contra ministros Montium Pietatis aliorumque furtum, aut falsitatem in praedictis locis committentes ex Constitut. Benedicti XIII « *Ex quo divina* » *idibus Junii 1725,*

et pro fabricatoribus adulteratae monetae ex Constitut. Benedicti XIV « *Ad curam* » *diei 31 Octobr. 1755,* Pontificia ac Conciliaria decreta contra usurpatores jurisdictionum ac bonorum ecclesiasticorum gravius institerunt. Memoramus hic constitutionem Concilii Tridentini *sess. 22 cap. XI*, quae censurae subjicit ipso facto omnes occupantes, aut sequestrantes bona cujuslibet Ecclesiae, vel loci pii: recensemus constitutionem *Bullae Coenae § 17* extendentem hanc poenam etiam in usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, proventus ad Papam, ad Sedem Apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes. Recensem demum Constitutionem « *Apostolicae Sedis,* » quae in *art.° XI* « *Excommunicationum latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatarum* » plectit « *usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem,* » *bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione* » *suarum Ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes;* » cum deinde *art.° XII* damnet invadentes dominia temporalia Romanae Sedis, (de quo locuti sumus *tit.° V hujus libri*) per verba « *invadentes, destruentes, detinentes per se, vel per* » *alios civitates, terras, loca, aut jura ad Romanam* » *Ecclesiam pertinentia;* vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in » *eis;* nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes. » Qui articulus XI

non est directus contra fures, sed contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum, ut constat ex responso S. U. Inquisitionis diei 9 Martii 1870, quo dictum est sub hoc articulo seu censura *fures non comprehendi*. Bene vero comprehenduntur qui usurpant, aut sequestrant bona Monasteriorum, et beneficiorum, tum bona, vel redditus, qui pertinent ad beneficia juris patronatus; ista enim sunt bona ecclesiastica. — A pluribus quaesitum est an illi, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus, accipiunt sine praevia licentia auctoritatis ecclesiasticae per aliquem contractum sub hac censura comprehendantur, sicut et qui a tertiis per similem, aut alium contractum accipiunt? Et potest valido hoc argumento affirmativa responsio probari. Articulus enim XI Constitutionis « *Apostolicae Sedis* » respicit eosdem casus ac easdem personas, imo eadem verba conservat *articuli XVII Bullae Coenae*, qui sic exprimitur: « Quique jurisdictiones, » seu fructus, redditus et proventus ad Nos, et » Sedem Apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum » pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione » vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad » id legitimum facultatem habentium expressa licentia sequestrant. » Porro articulus hic Bullae Coenae non solum primos usurpatores, sed quoscumque respiciebat emptores, et detentores illorum bonorum. Optime in casu advertit Ferraris in *Bi-*

bliotheca v. Bona ecclesiastica art. 1° num.° 30, omnes etiam mediatos possessores rei usurpatae hanc censuram incurrere, quia scienter rem alienam sibi adscribunt; proinde tantum excipiendos esse fures et raptores, *qui non praesumunt se jure possidere*. Idem sentit Cardinalis Petra in *Commentariis ad Constitut. I. Leonis IX sect. 1° num.° 29*. Sed omnium loco citamus hic Bonacina, qui in *libro De Censuris in Bulla Coenae contentis Disput. I° quaest. 18 punct. 1° num.° 5°* postquam proposuerit censuram Bullae Coenae eum non incurrere, qui fructus ecclesiasticorum beneficiorum ab aliis sublato, sed apud se existentes non restituit ex negligentia solvendi, deinde subjungit: « secus, si illos tamquam proprios retineat; tunc » enim dicitur usurpator, et parum refert esse » primum usurpatorem. » Atque istius suae conclusionis rationem refert in *Punct. III num. 3°*, « quia ex tunc dicitur usurpare fructus ecclesiasticos, licet ipse primo non usurpaverit; idem » enim est detinere tamquam proprium, et invadere, seu usurpare alienum; sicut idem peccatum » furti committitur injuste detinendo et surripiendo. » Ex quibus omnibus concludendum esset hos, qui a Gubernio usurpatore mediate, vel immediate per contractus res usurpatas habuerunt, ligari eadem censura *art. XI* inter reservatas speciali modo Summo Pontifici. Sed si quis ex opinione contraria alicujus Doctoris vellet arguere eos non comprehendi inter damnatos a Bulla

circa veritatem precum, non conceditur licentia nisi habeatur *justa causa*. Haec autem justa causa est non de *luero faciendo*, sed de *damno vitando*, scilicet ad arcenda incommoda, quae evenirent, nisi permetteretur acquisitio. Rescriptum vero veniae in forma commissaria remittitur Ordinario, sequentibus conditionibus apposis, quae debent acceptari praevis et subscribi ab Oratoribus, et *singrapha aservari* in Cancellaria Episcopali; nempe: — 1° Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi! — 2° Conservandi eadem bona, ac in eis rem utilem gerendi. — 3° Satisfaciendi piis oneribus, si quae dictis bonis annexa sint; et erogandi redditus eorundem bonorum, qui, facta proportione, excedant solum pretium, vel in favorem personarum aut locorum piorum, ad quae dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor illud repetere velit, prout Ordinarius judicaverit. — 4° Solvendi pretium emptionis annuis ratis juxta privilegium a lege civili concessum. — 5° Certiorandi haeredes et successores de hujusmodi obligationibus per *syngrapham* subscriptam, ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. — Quisque dignoscit hic concedi a S. Poenitentiaria acquisitionem istorum bonorum non absolutam, sed revocabilem ad nutum Ecclesiae, restituto tamen prius a causa pia pretio, quatenus emptor illud repetere velit. Non potest vero emptor aliis alienare rem emptam sine permissione

*x quibus acceptas conditiones servaverit
x x nisi guberni ipsi satisfaciat*

S. Sedis; eaque alienatio permittitur tantum cum novus emptor jam dictas conditiones acceptat. Quod autem pertinet ad sensum tertiae conditionis sciendum est emptorem non teneri, nisi in casu, in quo vel Gubernium, aut alia persona, quae de jure teneretur, iis oneribus piis non satisfaciat. Quod si omnes fundi redditus in pia opera essent expendendi ex piorum testatorum voluntate, et Gubernium, aut alia persona, quae tenetur, non satisfacit, S. Poenitentiaria se exorabilem exhibet, ut reducat ea onera usque dum salvi sint fructus pecuniae pro acquisitione expensae. — (b) Petitur quoque venia eosdem fundos *in emphyteusim* a Gubernio recipiendi, sicut et affrancandi census de sui natura redimibiles, aut canones, praestationes, aliaque jura de sui natura non redimibiles; et rescripta dantur quando adest causa alicujus praejudicii pro Oratore, nisi concessio fiat. — Dat etiam S. Poenitentiaria Ordinariis locorum facultates pro grege sibi commisso: — 1° Indulgendi Christifidelibus sive per se, sive per alias idoneas personas ecclesiasticas ab ipsis ad hoc specialiter deputandas, ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas ad Ecclesias, aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatas acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosina favore praesertim Ecclesiarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario, sive Confessario taxanda, quatenus emerint pretio minus justo; ita tamen ut si

agatur de rebus, quae servando servari possunt, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quaecumque Ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere, et curando pro viribus ut suppellectilia, vasa ac utensilia sacra in usum aliarum Ecclesiarum, seu Oratoriorum transferantur, nec in usus profanos assumantur. — 2° Providendi sub iisdem conditionibus, et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari, iis qui easdem res jam emerint, excepto tamen casu, in quo res emptae, superent valorem quingentorum scutorum; quem casum sibi S. Poenitentia reservat pro absolutione. — 3° Similiter facultatem ad annum duraturam concedit, indulgendi iisdem Christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio occupata conducere, seu jam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum, seu Ecclesiarum, ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod iudicio Ordinarii, seu Confessarii fuerit minus justo, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae eisdem bonis fuerint adnexa, ac praevia absolutione cum poenitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, nec non remoto, ac reparato scandalo. In eo indulto S. Poenitentia sic concludit: — « Quamvis autem optandum maxime sit, ut hujusmodi con-

nitentia declarat non obstare quod, sic jubente Gubernio, conductio fiat ultra triennium, cum hujusmodi conductionis contractus sit ipso jure nullus, et Indultum Apostolicum concedatur conductori tantum pro suae conscientiae tranquillitate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile. » — Modus hic providendi quoad res Ecclesiae mobiles traditur a Benedicto XIV in Litteris *Urbem Antibarum 19 Martii 1752*. — (c) Absolutionem a censuris S. Poenitentia concedit, seu melius concedendam committit, juxta diversos excessus in hac re imponendo diversas condiciones, ab eis acceptandas et in syngrapha subscripta consignandas Ordinariis locorum. Et quidem: — I° Emptores et possessores bonorum ecclesiasticorum immobilium praescribit esse absolvendos sub conditionibus: — 1^a Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi. — 2^a Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi. — 3^a Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa. — 4^a Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis, seu locis piis, ad quae de jure pertinent. — 5^a Monendi haeredes et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. — II° Si dicti emptores alteri alienaverint bona, aut cooperatores fuerint in talibus contractibus, esse absolvendos, deposito lucro exinde injuste percepto in manibus Ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo,

monitis novis emptoribus, aliisque complicitibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis. — III° Qui in emphyteusim acceperunt a Gubernio bona ecclesiastica non esse absolvendos, nisi prius Ordinario loci, seu aliis viris ecclesiasticis ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque haeredes, et successores subjicere sequentibus obligationibus, seu conditionibus: — 1^a Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi. — 2^a Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrancationem. — 3^a Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae, ejusque standi mandatis subinde ferendis quoad eorumdem bonorum restitutionem. — 4^a Adimplendi pia onera, quae eisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur. — 5^a Solvendi interim annuum canonem, illumque augendi ad tramites justitiae, et juxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit. — 6^a Monendi haeredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. — IV° Qui in emphyteusim acceperunt, deinde affrancarunt eadem bona, iisdem conditionibus subjici ac emptores *num.º 1.º* — V° Qui census redimibiles dimiserunt, esse absolvendos, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad ef-

fectum illud conservandi favore locorum piorum, ad quae census, seu jura redempta pertinebant. — VI° Qui canones et praestationes irredimibiles affrancarunt, esse absolvendos, dummodo prius, syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque successores subjicere sequentibus obligationibus, et conditionibus. — 1^a Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi. — 2^a Conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi. — 3^a Servandi indemnita quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, livelli, ac praestationis ac super quibusvis aliis juribus, quae ad ipsa loca pia exinde spectabant: nec non adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur. — 4^a Monendi haeredes, et successores per syngrapham subscriptam, de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

titur: quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit; » et concordat *cap. 3 h. t.*^o: unde patet natura istius conventionis, cujus causa est liberalitas ad preces petentis, conceditur autem rei usus quando libuerit revocabilis; haec vero libertas revocationis quovis tempore adeo patet, ut ex mero arbitrio concedentis pendeat, et solummodo hanc patiat restrictionem, ut qui precarium accepit, et restituere cogitur, nullum patiatur damnum: adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet. Haec porro conventio potest locum habere in omnibus rebus mobilibus non fungibilibus, et immobilibus, aut etiam in juribus, ut praxis demonstrat.

2.^o Precariae vero, vel precaria est « contractus jure canonico introductus, quo alicui ad preces, ac plerumque causa remunerationis usus fructus alicujus praedii, vel alterius rei ecclesiasticae immobilis ad dies vitae, vel ad aliud certum tempus conceditur, ea tamen lege, ut singulis quinquenniis renovatio hujus contractus petatur, » et finito concessionis tempore res cum omnibus incrementis ad Ecclesiam revertatur. — Inductus est hic contractus ex gratitudine Ecclesiae, ut qui bona sua ei obtulerunt, ne gravarentur egestate ad vitae tempus, ea ad morem beneficii utenda fruenda reciperent; et deinde propter alia merita in Ecclesiam concessa ab ea sunt ad vitam, vel alio tempore determinato Clericis, tum laicis, ita tamen ut essent concessionem mere personales. — Renovatio singulis quinquenniis faciendâ ideo est inducta,

TITULUS XIV.

De Precariis.

1.^o Praesens titulus, et sequentes usque ad XXIV inclusive tractant de pactis specialibus, et de contractibus. In iis porro exponendis brevis sermo noster erit, cum talis tractatio potius jus civile, quam ecclesiasticum respiciat; hinc exposita vera indole cujusque pacti, vel contractus, tantum eas quaestiones agemus, quae specialiter jus canonicum respiciunt. Et primo de Precariis. — Nomen in jure tripliciter exprimitur; dicitur enim *precarium* in *cap. 3^o h. t.*^o, ita etiam *precaria*, ut in *can. precaria a nemine caus. 10 quaest. 2^a*; vel demum dicuntur *precariae* *cap. 1^o et 3^o h. t.*^o Precarium porro, ut habet Ulpianus in *leg. 1^a ff. de precario*, est « quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, pa-

*non determinat nisi tempus, cuius praesens
est in commutato*

*Precarium = contr. f. civ. vel f. gentium
Precaria = contr. spec. juri canon.
Precariae p. id.
Precar*

ne quis temporis progressu alio ex titulo se possedisse posset opponere, et sic praescribere contra Ecclesiam: atque haec renovatio adeo erat necessaria, ut si negligeretur, eo ipso cessaret contractus, et res statim rediret ad Ecclesiam. — Alienatio haec si excessisset triennium, fieri nequibat nisi adhibitis solemnitatibus juris, quamvis in renovationibus quinquennialibus eae non essent necessariae. — Contractus hic nostris moribus omnino disparuit, unde non est ratio, cur de eo ulterius loquamur.

facto. etiam. dicitur. commoda.
in alien. de. ut. dicitur. in. canonum. cap. 1. §. 1. de. d. 1.

TITULUS XV.

De Commodato.

1.° Commodatum recte definiri potest cum Glossa in *cap. unic. v. commodatum h. t.º*: « ali- »
 » ejus rei non fungibilis ad certum usum gratuito
 » facta concessio, ea lege, ut usu illo expleto eadem
 » in specie restituatur. » — Si considerentur extre-
 ma istius contractus, nempe: — 1° quod fiat *gra-*
tuito, — 2° quod concessio fiat ad determinatum,
 vel certum usum, statim discrimen agnoscitur inter
 commodatum ex una parte, et precarium ac con-
 tractum locati conducti ex altera. — Ex eo quod
 enim commodatum importat concessionem rei ad
 certum usum, hinc antequam ille usus fuerit ex-
 pletus, revocari a commodante nequit, prout po-
 terat in precario; quemadmodum ex hoc eruitur

non esse indefinitum tempus, quo durat hic contractus; finitur enim cum usus ille certus expletus est. — Ex hoc quoque intelligitur non licere commodatario aliter uti re commodata, ita ut si aliter eâ utatur, rigore juris civilis habeatur reus furti. At cum commodatum gratuito fit, hinc a locatione rei differt, quae mercedem importat. — Ex hoc pariter resolvitur quaestio: quaenam culpa et diligentia praestanda sit a commodatario; namque cum totum emolumentum ex sua parte sit, e contra commodans solum habeat dispendium; hinc est quod commodatarius non modo dolum et culpam latam praestat (quod in omnibus obtinet contractibus), sed et culpam levem et levissimam ex *cap. unic. h. t.* In quo etiam habetur discrimen inter commodatum et precarium, cum in precario ex *Leg. 8^a § et generaliter ff. h. t.* non praestetur nisi dolus, et culpa lata: et jure quidem; nam precarium non est verus contractus, ut tenent Doctores apud Schmalzgrueber *hic num.º 4º*, et precarii conditio in hoc maxime oneratur, quod concessio ad libitum est revocabilis.

2.º Casum fortuitum commodatarius non praestat ex *cap. unic. h. t.* nisi vel ex culpa illius advenerit, aut in mora fuerit, et hic casus non fuisset apud commodantem verificatus. — Commodare autem ille valet, qui a jure contrahere permittitur; at commodatum quisque potest percipere, quia in sui commodum est. — Res sacrae

etiam commodari possunt, dummodo ad usum sacrum. — Commodanti demum datur actio commodati directa, commodatario utilis; at contra tertium possessorem datur commodanti actio vindicatoria.

TITULUS XVI.

De Deposito.

1.º Depositum communiter definitur: « con-
 » tractus realis, quo res alicui custodienda datur
 » sine mercede, ut integra restituatur. » — Duo sunt,
 quae a quovis alio contractu depositum discrimi-
 nant; nempe quod in deposito tradatur res *custo-*
dienda, et quod depositum *gratuito* fiat. Ex iis
 enim eruitur: — (a) in deposito interdici deposi-
 tario quemcumque rei usum, ita ut si interveniat,
 ex rigore juris civilis depositarius sit reus furti;
 et hoc in deposito est essenziale, ut ab alio quovis
 contractu distinguatur: — (b) depositum fieri unice
 in utilitatem deponentis; unde hic potest quando
 vult repetere rem depositam, etsi tempus depositi
 determinaverit; cum id statutum non sit nisi ad
 ejus commodum, et tenetur depositarius rem re-

stituere, quoties a deponente petatur; nisi alia
 habeantur motiva extrinseca a Doctoribus indicata,
 ex quibus depositarius ad retardandam restitu-
 tionem habilitetur: — (c) in deposito praestari a
 depositario tantum *dolum*, et *culpam latam*. — Imo
 actio doli in hoc contractu depositarium reddit in-
 famem; accedit quod dolus in hoc contractu ali-
 quando praesumitur, ut ex *cap. 2º h. t.º*; nempe
 quando rebus suis minus pretiosis salvis, deposi-
 tarius alienas depositas pretiosiores amisit, nisi
 possit casum fortuitum, aut aliam causam specialem
 indicare et probare. — Sunt tamen casus in quibus
 depositarius praestare tenetur culpam levem, et
 levissimam, imo et casum fortuitum: sed hoc non
 ex natura contractus, bene vero ex alia ratione.
 Culpam quidem levem praestabit ex *d.º cap. 2º*
h. t.º si mercedem pro rei custodia receperit; tunc
 enim locavit operam suam ad custodiendum: vel
 si ad recipiendum depositum se obtulit; implicite
 enim tunc promisit se praestitutum culpam levem.
 Quin imo in hoc ultimo casu conveniunt Doctores,
 quod ad culpam quoque levissimam praestandam
 depositarius teneatur; quemadmodum si expresse
 convenit inter partes de praestanda et levi et le-
 vissima culpa. — Casum autem fortuitum non prae-
 stat nisi expressis verbis in se recepturum promi-
 serit, vel nisi in mora culpabili restituendi fuerit,
 et res eodem modo apud deponentem peritura non
 fuisset, vel demum nisi casum fortuitum dolus
 depositarii praecessit.

*ex. g. publica honestas, summa regularis in actu possessionis
 damnum aliquid operi depositarius*

2.° In definitione dicitur res integra restituenda esse deponenti, quod importat: — 1.° restitutionem ejusdem rei in specie, vel in individuo: — 2.° eam non debere esse deterioratam dolo, vel culpâ latâ depositarii; ut enim habetur in *Leg. 1^a § 16 ff. h. t.* « *si res deposita deterior reddatur, quasi non reddita, agi depositi potest.* » — 3.° reddi debere fructus quoque rei, omnesque causas, et rei utilitates et accessiones ex *leg. cit.^a § 24.* — Singulare hoc est in contractu depositi, quod in eo locum non habeat compensatio, vel deductio, quae in aliis contractibus admittitur; et ratio redditur in *cit.^o cap. 2^o h. t.* § *Sane*, quia scilicet in hoc debet abundare bona fides, ne contractus, qui inter amicos inicitur, ad perfidiam referatur; quae verba hunc habent sensum, nempe: depositum fit inter amicos et amicitiae causa suscipitur; deponens enim rem suam depositarii fidei committit et tradit, ut illam fideliter custodiat, et deinde repetenti restituat; depositarius vero depositum acceptans id spondet se amicitiae causa completurum: si deinde rem depositam retinere vellet in compensationem cum alio debito, quo ipsi deponens obstringebatur, et repetenti illam negaret, vel partem depositi deducere ac sibi servare constitueret, etiamsi debitum esset liquidum; hic profecto a primo proposito recederet, aut melius arguere faceret se illud acceptasse depositum non ad exhibendum amicitiae specimen, sed ad habendam alterius debiti compensationem, et perfidiae notam non declinaret.

Ex natura proinde istius contractus, qui ex fiducia inicitur, id in eo non potest admitti, quod caeteroquin in aliis contractibus admittitur, nempe compensatio et deductio ex utriusque juris praescripto. Compensatio autem, vel deductio vetita respicit alia quaecumque credita, non vero eas expensas necessarias in rem depositam factas a depositario, ne res periret, aut deterioraretur; istae siquidem repeti possunt, et nisi solvantur, res deposita ab eo retineri valet quasi pignoris loco donec refundantur, prout unanimiter tradunt Doctores. Ratio disparitatis est, quia ex talibus expensis necessariis depositarius jus in re ipsa est adeptus. Et hanc *actionem depositi contrariam* ad morem exceptionis potest depositarius opponere deponenti per *actionem depositi directam* repetenti rem depositam.

3.° Doctores exponentes *caput 1^m h. t.* quaerunt: si aliqua res fuerit penes Clericum Canonicum, vel Religiosum deposita, et deinde ex ejus dolo, vel culpa lata deperdita et quomodocumque amissa, an Ecclesia, vel Monasterium de deposito teneatur? Distinguendus pro responsione est duplex casus: nempe vel Capitulum, aut Monasterium cum suo Praelato depositum in suam fidem et custodiam recepit, etsi revera deposita res sit penes unum Clericum, vel Religiosum, et culpa individuali, aut dolo ejus pereat; vel ille tantum Clericus, aut Religiosus depositum acceptavit ut persona singularis, quamvis fortasse ad acceptandum, si erat

Religiosus, petierit et obtinuerit veniam Praelati. Alter hic casus expenditur in *d.^o cap. 1^o h. t.^o*, et deciditur Capitulum, vel Monasterium de deposito non teneri, nisi in quantum res deposita fuerit conversa in utilitatem Ecclesiae, vel Monasterii. Ratio negativae responsionis est allata in eodem textu, quia scilicet depositum *personae Clerici, non Ecclesiae supponitur esse commendatum*, et juxta *Regulam 76 juris in VI^o « delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare. »* Ratio limitationis est, quia nemo cum detrimento alterius debet fieri locupletior; proinde Monasterium, vel Capitulum id totum restituet, quod de deposito in suam utilitatem versum est. Secus autem est dicendum in primo casu, in quo Ecclesia, vel Monasterium obligatur ad instar aliorum depositariorum, prout tenent unanimiter Doctores apud Pirhing *hic num.^o 13.^o*

TITULUS XVII.

De emptione, et venditione.

1.^o Emptio venditio communiter definitur « contractus bonae fidei solo consensu initus de re pro certo pretio tradenda; » unde est quod dicatur contractus consensualis, quia non est necessaria traditio rei ad illum complendum, sed sufficit solus consensus, contra ac accidit in contractibus realibus, mutui, commodati, depositi, et pignoris. Per hunc contractum, qui de se proportionatus est ad transferendum dominium, non semper dominium revera transfertur, puta si a non-domino res vendatur (et dominium non transfertur nisi rei traditione): illud autem quod essentialiter verificari in eo debet hoc est, quod emptor pacificam rei possessionem consequi possit, et revera

consequatur, per quam possessionem ponatur in conditione praescribendi. — Quae vero pertinent ad certitudinem et veritatem pretii ab auctoribus late exponuntur. — Res ad Ecclesiam pertinentes, quae sunt temporales et pretii capaces, possunt esse materia istius contractus; ast praeter animadversiones, quae factae sunt in expendendo *titulo XIII hujus libri*, sunt haec nonnullae addendae, nempe: — (α) res consecratae, quae sunt capaces pretii, nec carius vendi possunt ratione consecrationis, ut sunt suppellectilia et vasa sacra, quia hoc esset simoniacum; nec ad usus profanos, sed tantum ad sacros usus ex *regula 51 juris in VI*: — (β) aliquarum rerum temporalium, quae sunt minimi valoris, quaeque benedictae, vel consecratae sunt, a jure ecclesiastico prohibetur prorsus venditio et emptio propter periculum simoniae juris naturalis et divini; et ideo punitur emptio venditio sub poenis contra simoniacos, et habetur ut simoniaca jure ecclesiastico; sed debent gratis praeberi, ut oleum sanctum, sacrum chrisma etc.: — (γ) jus ecclesiasticum institit aliquando suis legibus in moderanda quoque venditione rerum mere profanarum, ne scilicet peregrinis alimenta carius venderentur, ut *cap. 1^o h. t.*; ut pondera essent justa, aliaeque fraudes in hoc contractu vitarentur, ut *cap. 2^o h. t.*; prout etiam de venditione facta a marito rei uxori donatae, de qua sermo est *cap. 4^o h. t.*: sed de his hodie curat civilis respublica: — (δ) pariter tempore bellorum cruciatorum interdi-

xerat sub gravissimis spiritualibus poenis Ecclesiae turcis, saracenis et gentibus barbaris hostibus christiani nominis venderetur quodcumque armorum genus, aut suppeditarentur annonae, ut constat ex *cap. 6, 11 et 17 De Judaeis*, et in eo titulo fusius exponetur: quae leges hodie non sunt applicabiles. — De venditione officiorum publicorum, quae ex praxi quoque Ecclesiae Romanae aliquatenus viguit, quomodo res processerit et explicetur, dicemus in expositione *tit. IV Ne Praelati vices suas, aut Ecclesias sub annuo censu concedant lib. V.*

2.^o Enim vero licet nonnulli canones quoque sint, qui loquantur de praestanda evictione, ut *cap. 7 h. t.*, vel qui respiciant periculum, commodum, et fructus rei venditae; de his sicut de aliis quaestionibus sermonem non facimus, quae in tractatibus juris civilis exponuntur, et in Theologia etiam Morali explicantur, cum in his jus canonicum non dissentiat a jure communi civili Romanorum: in hoc proinde titulo tres tantum quaestiones proponemus, et primo de emptione et venditione annui census, de qua loquitur *Extravagans 1^a et 2^a inter communes h. t.* — Census nomen plures sensus habet, ut videbimus in *titulo XXXIX hujus libri*; hic autem non loquimur nisi de contractu proprie dicto constitutionis census. Qui contractus pariter duplex est, prout census est reservativus, aut reservatus, et consignativus, aut consignatus. Porro census reservativus est

*De nomine
constitutionis*

6^o de cen

*reus fons
88 fons*

« pensio, quae solvitur ex contractu, per quem traditur alicui res pleno jure, ut in accipientem transferatur directum et utile dominium, reservata priori domino concedenti pensione aliqua sive ex fructibus, sive in pecunia, sive in alia re aequivalenti perpetuo annuatim solvenda. » — Census autem constitutivus est « pensio annua, quae datur ex contractu, per quem, interveniente numerata pecunia, nonnulla determinata bona immobilia frugifera alicui obligantur, eo usque solvenda, dum res praedictae non pereant, vel infructuosae evadant, vel demum pecunia praefata non restituatur. » — Et cum de censu reservativo difficultates nullae esse possint; statim enim dignoscitur ejus natura, sicut pariter extemplo intelligitur eum esse de se irredimibilem quoad eum qui censum praestat; hinc solummodo de censu consignativo loquemur.

3.^o Cum dubitaretur, an licitum esset hunc contractum inire, ambiguitatem sustulit Martinus V rescribens Trevirensi, Lubicinensi et Almi-
censi Episcopis prout in *Extravag. 1^a inter communes h. t.^o*, dummodo hic contractus iniretur sub sequentibus conditionibus: — « I^o Ut illa bona, » super quae constituitur census annuus, in con- » tractu exprimantur, ac determinantur. — II^o Ut » census annuus, qui constituitur in ejusmodi » bonis, sit proportionatus valori onerum, laborum » et fructuum, qui deductis annuis oneribus, labo- » ribus, vel industriis possessorum annuatim per-

» cipiuntur, vel spectato medio termino fructuum » variantium juxta qualitatem locorum, et tem- » porum verosimiliter expectantur. — III^o Ut bona » illa, in quibus census constituitur, obligentur » emptori in perpetuum. — IV^o Ut census sit » tantum redimibilis a venditore, non autem sit » redimibilis ex parte emptoris, ita ut venditori » liceat summam sibi in pretium venditionis so- » lutam emptori restituere, non autem liceat em- » ptori eam summam repossidere. — V^o Ut si illa » bona fructificantia penitus destruantur, vel de- » solentur, cesset ex parte venditoris obligatio » praestandi censum annuum. — VI^o Ut pretium » venditionis solvatur venditori integraliter in nu- » merata pecunia. — VII^o Ut consuetudo sic ven- » dendi, et emendi census annuos jam a tempore » immemorabili sit legitime praescripta, et ab Epi- » scopis locorum approbata. Deficientibus secunda, » et quinta ex his conditionibus, jure naturali re- » quisitis, contractus est intrinsece usurarius: re- » liquae vero exiguntur jure positivo ad preclu- » dendum periculum generale miscendi variis modis » latens venenum usurarium, et palliandi vitium, » honesto subventionis praetextu. » — Has deinde probavit Calistus III *Extrav. 2 inter comm. h. t.^o* declarando clarioribus verbis irredimibilitatem census ex parte emptoris. Accessit deinde Constitutio Pii V « *Cum onus* » diei 19 Januar. 1569, qui confirmatis praefatis conditionibus, alias superinduxit, prout ex tenore, quem referimus: — « I^o Hac igitur

» nostra Constitutione statuimus, census, seu an-
 » nuum redditum creari, vel constitui nullo modo
 » posse, nisi in re immobili, aut quae pro immo-
 » bili habeatur, de sui natura fructifera, et quae
 » nominatim certis finibus designata sit. — II^o Rur-
 » sum, nisi vere in pecunia numerata, praesentibus
 » testibus ac notario, et in actu celebrationis in-
 » strumenti, non autem prius, recepto integro,
 » justoque pretio. — III^o Solutiones, quas vulgo
 » anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci
 » prohibemus. — IV^o Conventiones directe, aut
 » indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui
 » alias ex natura contractus non teneretur, nullo
 » modo valere volumus. — V^o Quemadmodum nec
 » pactum auferens, aut restringens facultatem alie-
 » nandi rem censui suppositam, quia volumus rem
 » ipsam libere, et semper, ac sine solutione lau-
 » demii, seu quinquagesimae, aut alterius quan-
 » titatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima
 » voluntate alienari. — VI^o Ubi autem vendenda
 » sit, volumus dominum census aliis omnibus
 » praeferri, eique denunciari conditiones, quibus
 » vendenda sit, et per mensem expectari. —
 » VII^o Pacta continentia, morosum census debi-
 » torem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad
 » cambium, seu certas expensas, aut certa salaria,
 » aut ad salaria, seu expensas, medio juramento
 » creditoris, liquidandas, aut rem censui subje-
 » ctam, sive aliquam ejus partem amittere, aut
 » aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acqui-

si quis proinde annu personali

» situm perdere, aut in aliquam poenam cadere,
 » ex toto irrita sint, et nulla. — VIII^o Immo, et
 » census augeri, et novum creari super eadem,
 » vel alia re in favorem ejusdem, aut personae
 » per eum suppositae pro censibus temporis, vel
 » praeteriti, vel futuri, omnino prohibemus. —
 » IX^o Sicuti etiam annullamus pacta, continentia
 » solutiones onerum ad eum spectare, ad quem
 » alias de jure, et ex natura contractus non spe-
 » ctarent. — X^o Postremo census omnes, in fu-
 » turum creandos, non solum re in totum, vel
 » pro parte perempta, aut infructuosa in totum,
 » vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire,
 » sed etiam posse pro eodem pretio extinguui, non
 » obstante longissimi etiam temporis, ac immemo-
 » rabili, imo centum, et plurium annorum prae-
 » scriptione, non obstantibus aliquibus pactis di-
 » recte, aut indirecte, talem facultatem auferen-
 » tibus, quibuscumque verbis, aut clausulis con-
 » cepta sint. — XI^o Cum vero traditione pretii
 » redditus extinguendus erit, volumus per bimestre
 » ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit,
 » et post denunciam, intra annum tamen, etiam
 » ab invito pretium repeti posse, et ubi pretium
 » nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito
 » intra annum exigatur, volumus nihilominus,
 » quandocumque redditum extinguui posse, praevia
 » tamen semper denuncia, de qua supra, et non
 » obstantibus his, de quibus supra, idque obser-
 » vari mandamus etiam quod pluries, ac pluries

» denunciatum fuisset, nec unquam effectus se-
 » cutus fuisset. — XII^o Pacta, etiam continentia
 » pretium census extra casum praedictum, ab in-
 » vito, aut ob poenam, aut ob aliam causam re-
 » peti posse omnino prohibemus. — XIII^o Con-
 » tractusque, sub alia forma posthac celebrandos,
 » feneratitios judicamus. Et ita illis propterea non
 » obstantibus, quicquid vel expresse, vel tacite
 » contra haec nostra mandata dari, remitti, aut
 » dimitti contingat, a Fisco volumus posse vindi-
 » cari. — XIV^o Hanc autem salutiferam sanctio-
 » nem, nedum in censu, noviter creando, verum
 » etiam in creato quocumque tempore alienando,
 » modo post publicationem Constitutionis creatus
 » sit, perpetuo, et in omnibus servari volumus. —
 » XV^o Declarantes, pretium semel censui consti-
 » tutum, numquam posse ob temporum, aut con-
 » trahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec
 » quoad ultimo contrahentes, minui, vel augeri. —
 » XVI^o Et licet legem ipsam ad contractus jam
 » celebratos non extendamus, illos tamen omnes,
 » in quos sub alia forma pervenerunt census, hor-
 » tamur in Domino, ut singulos contractus cen-
 » surae bonorum religiosorum subiciant, et ani-
 » marum saluti consulant.» — Et cum circa sensum
 istius Constitutionis exorta essent nonnulla dubia,
 idem Pontifex ea declaravit sequenti Constitutione
 edita *die 10 Junii 1570*. — « I^o Pridem enim
 » per Constitutionem nostram de censuum crea-
 » tione inter alia volumus, census omnes in fu-

» turum creandos, non solum re, in totum, vel
 » pro parte perempta, aut infructuosa in totum
 » effecta, ad ratam perire, sed etiam pro eodem
 » pretio extingui posse: ac pacta continentia, mo-
 » rosum census debitorem ad interesse lucri ces-
 » santis, vel ad cambium, seu salaria, et expensas,
 » medio creditoris juramento liquidandas, teneri,
 » aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus
 » partem amittere, aut aliud jus, sive ex eodem
 » contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut
 » in aliquam poenam cadere ex toto, nulla atque
 » irrita esse. Censum autem, seu annum red-
 » ditum, non nisi in re immobili, aut quae pro im-
 » mobili habetur, ex sui natura fructifera, atque
 » nominatim certis finibus designanda sit, sed nec
 » censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata,
 » praesentibus Notario, et testibus in actu celebra-
 » tionis instrumenti, non autem prius, recepto in-
 » tegro, justoque pretio creari, constituive nullo
 » modo posse. — II^o Deinde per dilectum filium
 » Octavium Spinolam, Regni Siciliae magistrum
 » Portulanum hac de causa ad nos destinatum,
 » accepimus, in dicto Regno Siciliae, scrupulum
 » exoriri, an rerum praedictarum infructuositas
 » etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur. —
 » III^o Et an per nullitatem pactorum, et aliorum
 » praedictorum, etiam jus recuperandi, sive repe-
 » tendi impensas, quas litigando contra morosos
 » praedictos, aut executores ad eorum loca trans-
 » mittendo, aut alias ex iudicum mandato subire

» oportet, auferatur. — IV^o Praeterea, an tam
 » pro ipsis expensis, quam etiam pro censu recu-
 » perando contra tertium possessorem procedi, et
 » etiam fidejussiones dari, aliave bona pro praedii
 » censu gravati evictione, et ipsius census solu-
 » tione hypothecari. Denique, an census hujusmodi
 » super pluribus rebus, inter se divisus, constitui
 » possint. — V^o Postremo, an id, quod de pecunia
 » numerata dicitur, prohibeat, quominus in dotium
 » assignatione census creari possit. — VI^o Nos
 » haec discrimina, quantum in nobis est, tollere
 » cupientes, tenore praesentium declaramus, rem
 » infructuosam, quae tota, vel ex parte infructuosa
 » perpetuo redditur, non autem ex qua fructus
 » uno, duobus, pluribusve annis, sive tempestate,
 » sive alio casu non proveniunt, salva alias ju-
 » ris communis dispositione, intelligi debere. —
 » VII^o Praeterea exactionem illarum expensarum
 » prohiberi, quae ex pacto, vel conventionem tantum
 » inter contrahentes inita, et instrumento census
 » specialiter appositae, refici promittuntur, non
 » autem eae, quae ex dicti juris dispositione re-
 » petendae veniunt, et mandato judicis adjudi-
 » cantur. — VIII^o Caeterum fidejussores dari,
 » aliave bona hypothecari pro praedii census gra-
 » vati evictione, aut si praedium in alium deve-
 » nerit, aut aliquis tertius fidejussor intercesserit,
 » tertium possessorem, vel ejus bona obligari mi-
 » nime prohibemus. Haec autem omnia pro evi-
 » ctione dumtaxat, non autem solutione poenae

» adjudicari posse intelligimus. — IX^o Postremo
 » in dotium assignandarum casu, censuum crea-
 » tionem, et constitutionem praedictam respectu
 » actualis numerationis coram Notario, et testibus
 » faciendae locum non habere. Sed in hoc casu
 » census ipsos, etiam pecunia ad manum non
 » habita, creari posse declaramus. — X^o Denique,
 » ut periculis, quae ex transportatione pecuniarum
 » frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur,
 » permittimus, ut si in creatione census pecuniam
 » ad manum commode habere nequierit, illius loco,
 » emptor apocam, sive cedulam bancariam ido-
 » neam integri pretii venditori in ipso emptionis
 » actu debeat exhibere. — XI^o Constitutione nostra
 » praedicta, tam in casu dotium, quam caeteris
 » omnibus, in ea contentis, in suo robore perma-
 » nentibus. » — In hisce omnibus Constitutionibus
 non praescribitur an census redimi possit a cen-
 suario unica, vel pluribus solutionibus; sed ex con-
 suetudine receptum est, ut possit census redimi
 pro medietate, nisi aliter conventum sit inter
 partes. Imo Cencius *quaest. 110 num. 3^o et seqq.*
de Censibus demonstrat censum de sui natura esse
 dividuum, et sic nullo interveniente pacto posse
 per partes redimi, licet invito creditore. Advertit
 insuper Fagnanus *ad cap. VI de usuris num. 22*
et seqq. non esse in dictis Constitutionibus taxatum
 pretium pro quolibet centenario annuatim solven-
 dum, unde istud metiendum est secundum re-
 gionum consuetudinem, dummodo non excedat

valorem reddituum, qui annuatim ex fundo censito percipiuntur: aliter committeretur usura. Similiter notant Auctores apud Giraldi *op. cit.*^o *part. 1^a sect. 456* conditiones appositae a Pio V non omnes jure divino, aut naturali obligare, sed positivo ecclesiastico; hinc est quod non obligent in illis regionibus, in quibus ea Constitutio vel non fuit promulgata, vel usu non recepta; quemadmodum explicatur, quod Gregorius XIII Constitutione « *Ad perpetuam* » anni 1574, eam reduxerit ad terminos Constitutionis Nicolai V « *Sollicitudo* » editae pro Regno Siciliae anno 1452.

4.^o De pactis nunc agendum est, quae contractui emptionis venditionis adjiciuntur. Convenit inter jus civile et canonicum posse huic contractui apponi *pactum legis commissoriae*, quo convenitur, ut nisi intra certum tempus emptor solverit pretium, res sit inempta, seu contractus sit nullus; sicut pactum *addictionis in diem*, quo liceat venditori rem venditam denuo alteri emptori vendere, si intra certum tempus aliquis meliorem conditionem offerat. Sed videtur esse oppositio inter utrumque jus circa pactum redemptionis, seu retrovenditionis: dum enim jus civile aperte tale pactum in dicto contractu absolute recipit, non deest unus, aut alter textus juris canonici, qui illud pactum omnino rejicere videtur; imo alienationes cum tali pacto initas retinet ut contractus usurarios, latente seu palliato mutui contractu cum ventis usuris sub hac emptione venditione. Pactum

porro retrovendendi, seu redimendi est a contrahentibus venditioni appositum ad hoc, ut emptor vel possit, vel debeat rem emptam revendere venditori. Et potest esse hoc pactum in gratiam solius venditoris, cum emptor tenetur rem emptam revendere venditori id postulanti, et hoc frequentius evenit: vel in gratiam emptoris, cum venditor tenetur rem a se venditam redimere, vel iterum emere, instante emptore; tertio in gratiam utriusque, quando nempe uterque contrahentium se obligat ad celebrandum novum contractum, scilicet emptor ad revendendum, si venditori placuerit, et venditor ad redimendum, si emptor postulaverit. Profecto in gratiam venditoris posse apponi pactum retrovenditionis, seu redemptionis, jure civili certum exploratumque est ex *leg. 2^a Cod. de pactis inter empt.* Non minus autem id licitum esse constat ex jure canonico ex *cap. Cum Joannes de fide instrument. et extravag. 1^a et 2^a inter commun. h. t.*^o, et communis tenet Doctorum opinio contra paucos, atque habet praxis. Hoc pactum retrovenditionis solebat communiter proponi clausula, ut *semper et quandocumque* liceret rem recuperare pretio restituto, nisi determinatum tempus esset recuperationis. Hodie autem non obstante quacumque clausula instrumenti ex expressa dispositione Judicis civilis italici hoc jus recuperationis non durat nisi quinquennio a die editi contractus et pacti appositi; quo elapso tempore jus deperditur, et res absolute emptori cedit juxta *art. 1516*,

1517, 1518: et hoc statuitur pro contractibus quoque antecedentibus, ut ad quinquennium jus recuperationis reducatur, incipiens decurrere a die introducti codicis. Haec notamus ad quodcumque detrimentum eliminandum. — Neque dicatur ostare *cap. 5 h. t.*; namque eo tantum hoc ostenditur aliquando sub contractu emptionis cum apposito pacto latere contractum mutui cum usuris; et in eo casu debet usurarius poenis ecclesiasticis compelli: sunt autem certa indicia, quando haec fraus committatur. — Primum indicium juxta Doctores est, quando emptor, qui hoc pactum apposuit, consuevit dare pecuniam mutuam pactis usuris; quia tunc praesumitur latere usuram palliatam sub contractu emptionis cum tali pacto, et rem emptam tamquam in pignus causa securitatis retineri; maxime si venditor egestate gravi pressus indigeret pecunia. — Alterum indicium est si pretium pro re sit adeo vile, ut argui possit animum emptoris esse potius mutuandi quam emendi, et nolle mutuum dare nisi hoc modo. Etsi enim haec spes redemptionis, seu jus retrovenditionis sit pretio aestimabile, ac proinde, si gratia venditoris pactum apponitur, pretium aliquantulum minui possit; debet tamen semper in pretio servari proportio cum valore fundi: quae proportio nisi fuerit servata, prout in specie *cap. 5 h. t.* verificabatur, in qua data pecunia a creditore vix dimidiam justii pretii contingebat, jure praesumi potest latere mutuum cum usuris. Similiter jure civili et canonico permittitur,

ut adjiciatur hoc pactum favore emptoris, et tunc pretium venditionis ex paritate rationis augetur; quia hoc pactum est pretio aestimabile. Unde liquet posse etiam induci hoc pactum favore utriusque contrahentis. — Facta autem revenditione, si res vendita sit frugifera, illius fructus immaturi pendentes dividendi sunt pro rata inter utrumque.

5.º Non agimus demum hic de duabus actionibus aedilitii edicti; nempe de actione *redhibitoria* et *aestimatoria*, seu *quanti minoris* propter vitium occultum rei non revelatum; in hoc enim concordat jus canonicum cum jure civili, prout cum communi Doctorum indicat Abbas in *cap. 4 h. t.*; sed tantum nonnulla edicemus de laesione. — Laesio esse potest *levis, gravis, enormis* et *enormissima*; item evenire potest vel *bona fide*, vel *fraude et dolo*. Dictata autem juridica in proposito sunt sequentia: — 1º In laesione enormi, id est ultra dimidium veri pretii, succurrit utrumque jus, civile et ecclesiasticum, hoc modo, ut si evenerit bona fide, detur actio venditori laeso contra emptorem, ut hic vel suppleat usque ad justum pretium, vel rem restituat, recuperato pretio jam dato ex *cap. 3º et 6º h. t.*; ita tamen ut si emptor eligat rem restituere, fructus perceptos sibi poterit retinere, et expensae, quas fecit pro necessitate, vel pro melioratione fundi, reficiantur ex *cap. XI de rebus Ecclesiae alienand.* Imo si res vendita periit, cum amplius non sit locus optioni, non habet locum actio; quemadmodum si huic fuerit renunciatum

donatione mutua in instrumento, qua unaquaeque pars alteri condonat, si excessus, vel defectus fuerit in dato pretio. Verum si haec laesio enormis fraude, vel dolo evenerit, tunc erit in optione laesi venditoris aut petere supplementum justii pretii, aut restitutionem rei venditae, pretio relecto; et si hanc elegerit petere restitutionem rei, recuperabit rem cum fructibus ex *cap. 15 et 16 de Rescript.* — II° Laesio enormissima, id est ultra duas tertias partes justii pretii aequiparatur dolo ab utroque jure, ut tenent communiter Doctores apud Reifensuel *h. t.° num.° 358*, et servavit Rota; proinde ea eveniente, succurritur laeso venditori, ut pro laesione enormi mala fide commissa. — III° Si laesio sit levis, a neutro jure attenditur, ne pro quovis contractu emptionis venditionis habeantur lites. Imo si sit quoque gravis, vel notabilis, sed citra dimidium justii pretii etiam ex fraude, vel dolo inducta, laeso *regulariter*, et *directe in foro externo* non succurritur, cum deficient textus utriusque juris, qui hanc reparationem inducant, omnesque alii citati loquantur de laesione enormi, vel enormissima. — Dixi *regulariter*; nam Ecclesiae notabiliter laesae, etsi non enormiter, succurritur per remedium extraordinarium restitutionis in integrum prout omnibus minoribus ex *cap. 3° de in integr. restitut.*, quemadmodum si ex dolo facta est laesio notabilis, datur actio *ex dolo* ex principio posito in *cap. 16° de Rescript.* — Dixi *directe*; nam in foro ecclesiastico succurritur *indirecte*; ut

recursu facto a parte laesa, moneantur laedentes, ut compensent gravem laesionem, et si contumaciter renuant, possunt censuris adigi ad supplementum usque ad justum pretium. — Dixi demum *in foro externo*: nam in conscientia tenentur ad supplementum in laesione gravi juxta illud principium: « jure naturae aequum est neminem cum alterius detrimento, et injuria fieri locupletiores. » — Quaesitum est: an sicut propter laesiones superius expressas succurritur venditori laeso, ita pariter succurratur emptori, si ipse eas passus sit? Respondetur autem, quod etsi textus juris civilis et ecclesiastici non loquantur nisi de venditoribus laesis, quia hic est casus qui plerumque intervenit, non vero alius; cum tamen hic non de simplici positiva dispositione juris agatur, sed de casu respiciente jus naturae, aut justitiam commutativam, et sunt casus rigorosiores, communissime a Theologis et Canonistis retinetur aequaliter succurri etiam emptori laeso, alio quoque concurrente juridico principio: « correlativorum idem est iudicium, » eademque disciplina. »

TITULUS XVIII.

De Locato, et Conducto.

1.º Locatio conductio definitur « contractus » bonae fidei solo consensu initus quo pro re aliqua » utenda fruenda, aut pro opera personae certum » praestatur pretium, vel merces. » Ex qua definitione tum vera indoles istius contractus dignoscitur, tum ab aliis quibuscumque contractibus discriminatur. — Res quoque Ecclesiae frugiferae possunt esse objectum istius contractus, dummodo ea serventur, quae exposita sunt in *titulo XIII hujus libri* quoad solemnitates juris servandas in casibus contemplatis. — Non est cur hic loquamur fuse de obligationibus locatoris et conductoris, quae omnia a Tractatoribus juris civilis late exponuntur, et utrumque jus convenit; tantummodo dicemus locatorem teneri ad contractum servandum

per totum tempus conventum, nisi — 1º inquilinus morosus sit in mercede solvenda per biennium: — 2º si locator re locata nunc indigeat: — 3º vel ea reparanda sit, — 4º vel inquilinus in re locata perverse conversetur. — Obligatur etiam remittere vel in totum, vel in parte pensionem si ex infortunio colonus ex re locata fructus non percipit, nisi valeat sterilitas antecedenti, vel subsequenti ubertate compensari. At duo advertenda sunt: — Iº remissionem, seu condonationem annuae pensionis a colono praestandae propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, prout *cap. 3 h. t.º* edicitur, etiamsi antecedenti, vel subsequenti ubertate non compensetur, hodie vix in praxi locum habere, quia nullum est instrumentum locationis conductionis, in quo non habeatur clausula, qua conductor renuntiat isti beneficio sibi a canone concessio, et quoad integram mercedis pensionem suscipit in se quemcumque casum fortuitum etiam ex necessitate, aut injuria hominum inductum: — IIº neque pariter hodie a Tribunalibus respici quoad remotionem inquilini, quod *eodem cap. 3º* dicitur, ut inquilinus distulerit solvere pensionem mercedis per biennium, neque celeriter moram purgaverit, sed potius secundum jus caesareum statim expelli posse, si debito tempore pensionem non solverit, et in hoc contractu non admitti purgationem morae; quae purgatio hodie simpliciter admittitur ex benigni-

tate Ecclesiae in emphyteusi, ut habetur *cap. 4^o h. t.^o* — Quaeritur a Doctoribus: an Praelatus successor teneatur respicere et manutenere locationem ab antecessore factam, si adhuc tempus conductionis finitum non sit? Et respondent dupliciter pro duplici casu; vel enim Praelatus, aut Beneficiatus locavit rem ad suum beneficium pertinentem, seu, ut ajunt, locationem fecit *nomine suo*, vel potius rem locavit ad Ecclesiam pertinentem, cujus ipse erat tantum administrator, et *nomine Ecclesiae*, puta Monasterii hospitalis etc. Si primum, successor non tenetur eam respicere, quia Praelatus, vel Beneficiarius suum tantum interesse quaesivit; proinde successorem nequivit obligare, et talis locatio continebat implicitam conditionem, nempe si toto locationis tempore concedens superviveret; et antecessor in praevjudicium successoris nihil agere potest *cap. fin. de offic. jud. ordin.* Si secundo modo facta sit, tunc obligat quoque successorem, quia Praelatus erat legitimus administrator Ecclesiae, eamque proinde obligare potest, sicut Tutor et Curator obligant pupillum et minorem, et subsequentes Tutores ad illud factum recognoscendum, licet si Ecclesia laesa sit, habere possit in integrum restitutionem. Ita Doctores apud Pirhing *h. t.^o num. 26.*

2.^o Affinis contractui locationis conductionis est emphyteusis, quae potest definiri « contractus » nominatus, quo res soli sive immobilis cum trans-
» latione domini utilis, retento directo seu proprie-

» tate, alicui colenda et fruenda conceditur vel in
» perpetuum, vel ad vitam, seu plures generationes,
» aut longissimum tempus sub onere certae pen-
» sionis annuae realis domino proprietatis solven-
» dae. » — Canon hic si tantum datur in reco-
gnitionem domini directi, dicitur *parvus* canon: vel est in compensationem domini utilis concessi, et dicitur *magnus*, proportionatus videlicet fructibus colligi solitis; atque de hoc *canone magno* intelligenda est dispositio *cap. 3 h. t.^o*, quod debeat minui, vel non pendi ratione sterilitatis, infortunii etc., nisi aliter sit conventum; non autem de canone parvo, qui semper solvi debet. Impositio istius canonis est in emphyteusi necessaria, sicut in locatione determinata merces, et in feudi concessionem statutam obsequia exhibenda. Praeter hunc canonem aliquando in emphyteusis concessionem solet peti summa, quae dicitur ratio investiturae, et si est conventum inter partes, tunc solvi debet, secus non datur. — Emphyteusis autem ex dictis jus et obligationem in emphyteuta importat: jus scilicet suos faciendi omnes fructus rei, salvo canone solvendo domino directo; et obligationem colendi, vel, prout in hoc casu intelligitur, meliorandi fundum.

3.^o Juxta dispositionem *cap. 4 h. t.^o* potest emphyteuta melioramenta, et jus sibi competens aliis vendere; habet vero Ecclesia proprietaria praelationem, quam emphyteuta debet primitus requirere, eique nuntiare quantum sibi ab aliis

offertur; et praelatio cessat, si Ecclesia se nolle emere dixerit, vel a denuntiationis tempore duorum mensium spatium sit elapsum. Sed si emphyteusis sit ad tempus concessa, et hoc tempus fuerit elapsum, tunc dominium utile consolidatur cum dominio directo et transit ad Ecclesiam, nec emphyteuta jus illud alienandi habet; et multo minus de eo poterit disponere si emphyteusis concessa sit cum clausula, ut melioramenta omnia solo cedant. Quin imo et receptum est, ut habita a domino directo facultate, emphyteuta valeat cum altero contractum facere dictum *subemphyteusis*. In casibus vero alienationis cujuscumque, etiam comprehensa permutatione, donatione, legato, a novo emphyteuta praestatur domino directo pro recognitione *laudemium*, quod est quinquagesima pars pretii, quo bonum emphyteuticum aestimatur. Praeter casum terminandi emphyteusim tempore finito, vel extinta generatione concessa, quo eventu melioramenta extraordinaria sunt emphyteutae reficienda, nisi conventum sit quod solo cedant; habentur alii tres casus, in quibus emphyteuta quoque invitus depelli ab ea potest: — I° si in emphyteusi ecclesiastica, ut supra dictum est, per biennium non solvit integrum canonem: — II° si dolo, vel culpa ejus res emphyteutica fuerit notabiliter deteriorata: — III° si irrequisito domino directo, is cum altero vendat.

4.° Verum nostris diebus a codice civili in Italia vigente graves variationes in hoc contractu

inductae sunt, quas ideo referre tenemur, quia eadem legislatio imposita est quoque pro emphyteusi ecclesiastica, et Ecclesiae libertas ac jura sicut in aliis rebus, ita in hac etiam imminuta sunt. Variationes sunt sequentes: — I^a In *art.° 1562* alienatio fundi emphyteutici permittitur emphyteutae indiscriminatim, sublata domino directo praelatione; atque interdicitur subemphyteusis: nullum autem competit eidem directo domino laudemium a novo emphyteuta praestandum, ut etiam manifestius innuitur in *art.° 1563*. — II^a In *art.° 1564* conceditur perpetuo potestas emphyteutae affrancandi, seu redimendi fundum a domino directo, solvendo summam canonis respondentem in proportionem centum pro quinque, si canon est in pecunia, aut in eadem proportionem constituto valore frugum, si fruges dantur, juxta mediam pretii, quo illae venditae sunt fruges ultimis decem annis. — III^a In *art.° 1565* non admittitur jus domini directi reclamantis devolutionem ex venditione fundi ab emphyteuta facta, illo irrequisito: imo in genere contra reclamationem domini directi de devolutione admittitur semper quod emphyteuta possit affrancare fundum; et etiam ejus creditores, qui ad suum interesse tuendum subingredi possunt in jus affrancandi competens emphyteutae. — IV^a In *art.° 1566* demum in omni casu devolutionis ex culpa quoque emphyteutae admittitur compensatio melioramentorum quoad emphyteutam, cum hac lege, ut si emphyteuta cadat hoc jure ex culpa sua, resarciatur

de melioramentis in minori summa, quae resultat tempore derelictionis fundorum *inter expensum et melioratum*; si vero deciderit ex eo quod emphyteusis finitum est tempus, resarciatur de melioramentis secundum eorum verum valorem, quem eo tempore habent. — Ex hac potestatis civilis usurpatione factum est, ut ad providendum conscientiae eorum, qui has redemptiones fecerunt juxta praescripta legis civilis, S. Sedes per ministerium S. Poenitentiariae illum proponat modum pro emphyteusi, quem indicavimus *tit. XIII hujus libri*. Et pro redimendis fundis emphyteuticis proprietatis ecclesiasticae S. Congregatio EE. et RR., relicto interesse laudemii, constituat, ut istae redemptiones fiant data summa centum pro quibuslibet quatuor: et tunc causae piae constituto reddito in fundis publicis correspondente ad valorem canonis, alia summa, quae superest ex emptione singrapharum debiti publici, sicut quae superest ex taxatione diversa utriusque juris (nam lex ecclesiastica taxat centum pro quatuor, et civilis centum pro quinque) brevi manu locis piis danda est, ad quae dictae emphyteuses pertinebant, investienda eorum favore.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

1.º Permutatio est « contractus innominatus juris gentium re et consensu constans, quo certa res in specie, seu individuo cum alia re certae et individuae speciei commutatur. » — Unde differt ab emptione et venditione, quia in hac pretium, vel *pecunia pro re* datur, in illa *res pro re*, et quia emptio venditio *solo consensu* perficitur, permutatio vero *consensu et re ex leg. 3ª cod. h. t.º*, licet jure canonico ut pactum valeat, et adimplenda sit; attamen si ante traditionem perit res, ei perit, qui non tradidit: nondum enim perfecta est permutatio. — Res autem Ecclesiae materia hujus contractus esse possunt dummodo hae regulae serventur. — Iº Res spirituales etsi non possint cum temporalibus simplicibus, vel cum temporalibus, quae adjunctae spi-

ritualibus sunt, propter crimen simoniae, ex *cap. fin. de pactis* et *cap. fin. h. t.*^o, nisi temporalis separari possit a spirituali et re ipsa separetur, ac seorsim cum alia permutetur contractu distincto, Schmalzgrueber *h. t.*^o *num.*^o 24; bene tamen cum aequae spiritualibus valide et licite permutantur, ut constat ex *cap. unic. h. t.*^o *in VI*^o et *Clement. unic. h. t.*^o — II^o Sic pariter res temporales cum temporalibus aequae licite permutantur, dummodo, si sint pretiosae, interveniant solemnitates juris, et si sint diversi valoris seu pretii, potest intervenire pecunia ad restituendam aequalitatem. — III^o Quod autem spectat ad res temporales spiritualibus adnexas retinendum est, quod si sunt adnexae *eodem modo* spiritualibus, tunc fieri potest permutatio, dummodo nulla fiat comparatio spiritualis cum temporali; sic recte commutatur calix consecratus cum alio calice consecrato, reliquia in theca inclusa cum alia reliquia in alia theca condita, supplendo quoque pecunia, si unus calix sit pretiosior, vel theca prae altera, dummodo, ut advertit Gonzalez in *cap. fin. h. t.*^o cum communi, non commutetur v. g. rosarium benedictum pretiosae materiae cum alio rosario minus pretiosae materiae, quod istud plures benedictiones, aut indulgentias habeat, aut plurium reliquiarum attactu sacratius sit; nam in eo casu permutatio foret simoniaca: debent proinde fieri duae comparationes spiritualis cum spirituali, et temporalis cum temporali. — Si vero temporalia

unita sint spiritualibus diverso modo, non licet facere commutationem. — Hoc modo permissum pariter est permutare ipsas Ecclesias vel beneficia, si teneantur jure proprietatis et incorporationis ex *cap. 6^o h. t.*^o, et ex *cap. 6^o de exception.*, et si una Ecclesia, quae commutatur, redditus habet auctiores prae altera, in permutatione peti potest compensatio pecuniaria, ut in dictis juribus admittitur. Sed ut omnis suspicio simoniae vitetur, tali in casu consultius est, prout suadet Pontifex in *d. 1^o cap. 6^o h. t.*^o, ut duo contractus distincti fiant sub diversa verborum forma, quorum unus sit permutationis Ecclesiarum inter se, alter permutationis, aut venditionis possessionum, quae sunt adnexae Ecclesiis permutandis. At notant Auctores sufficere, contractum unum facere per modum vel formam ut duobus aequivaleat, ut dignoscatur ex quo titulo petatur, et exhibeatur numerata pecunia, Schmalzgrueber *h. t.*^o *num.*^o 38.

2.^o Specialia autem quaedam in jure notantur circa permutationem beneficiorum, quae in titulum habentur, prout notatur *cap. unic. h. t.*^o *in VI*. Conditiones autem sunt sequentes: — 1.^o ut uterque permutans habeat jus absolutum in beneficio permutando; tunc enim habet jus dispositionis de illo: — 2.^o ut uterque resignet in manu Superioris Ordinarii, cui subjectum est beneficium, ex *cap. unic. h. t.*^o *in VI*: ita ut si unus resignavit, alius vero resignare nequeat, cum prima illa resignatio sit conditionalis de se, tunc qui resignavit debeat

iterum primum beneficium obtinere ex *cap. 20 de praebend. in VI^o* et *cap. 8 h. t.^o* Id autem intelligitur, ut possit ad illud beneficium redire absque nova collatione, quia actus non censetur esse completus, nisi verificata ea conditione, sub qua positus est. — 3^o Ut istorum beneficiorum collatio fiat ipsis permutantibus, et non aliis ex *Clement. unic. h. t.^o* — 4^o Ut in permutatione interveniat legitima auctoritas Ordinarii, in cujus Dioecesi est beneficium ex *cap. 5^o h. t.^o*; licet enim permutantes de hoc inter se tractare valeant, concludere tamen nequeunt nisi auctoritate Superioris; et si aliter commutatio fiat, haec irrita erit, et dabitur poena expressa in *cap. 7^o h. t.^o*, nempe praeter excommunicationem privatio beneficii per judicem. Et merito canones voluerunt, ut in hisce beneficiorum permutationibus intervenirent Ordinarii ad arcendum quodcumque periculum simoniae juris naturalis et divini; et ideo eam peragere absque auctoritate Ordinarii interdictum fuit, et consideratum est ut casus simoniae juris ecclesiastici. — 5^o Ordinarius pariter videbit si justa causa interveniat eam permutationem peragendi ex *d.^o cap. 5^o h. t.^o* — 6^o Si autem beneficia sunt juris patronatus, necesse est, ut interveniat patronorum consensus, ne eis fiat injuria ingerendo in beneficium, qui ab eis nominatus non est. — 7^o Demum ex Constitut. Gregorii XIII « *Humano viae iudicio* » debet fieri publicatio permutationis in Ecclesiis permutatis, prout etiam innuimus in *tit.^o IX libri primi.* —

Advertimus demum fieri posse permutationem, quando in aliqua Ecclesia sunt gratiae expectativae, dummodo in fraudem id non fiat ex *cap. unic. h. t.^o in VI.* Nequeunt vero permutari beneficia unita, ne fiat praejudicium unioni; neque beneficia Pontifici reservata, ne summae Sedi fiat injuria; neque beneficium litigiosum cum alio non litigioso, ne potentior adversarius alteri ingeratur.

3.^o Occasione autem hac quaeri potest: an si beneficia permutata sint inaequalia, excessus unius possit pecunia aut alia re temporali compensari? Et hanc quaestionem clarius prae caeteris expendit, et resolvit Schmalzgrueber *h. t.^o num. 56 et seqq.* nempe: « Certum est non posse compensationem hujusmodi fieri si beneficia permutata sint inaequalia in dignitate, titulo, vel officio spirituali, et hoc verum est, etiamsi hujusmodi supplementum et compensatio fiat auctoritate Superioris: quia compararetur in venditione spirituale pro temporali saltem ex parte, et locum haberet simonia juris divini et naturalis, quod vitium Superior quisque ecclesiasticus tollere nequit. » Ex quo sequitur juxta Pirhing hic *num.^o 31* committi simoniam, si beneficium dignius, sed tenuioris redditus commutetur cum pinguiore, sed minus digno, ea intentione, ut excessus dignitatis in uno compensetur per excessum fructuum in altero: at hujusmodi intentionem pravam non praesumi neque in foro externo, si pure et nude ejusmodi permutatio fiat in manibus Superioris, cum actus praesumatur

factus bona intentione, si de mala non constet. — Quaeri potius potest, an compensatio haec locum habere valeat, cum inaequalitas est quoad temporalia beneficiorum, ut unum sit alio pinguius, et intervenit pecunia ad restituendam reddituum aequalitatem? Porro hic casus non debet confundi cum alio nuper considerato in expositione *cap. 6 h. t.*^o Nam ibi Monasterium permutabat Ecclesiam cum nonnullis possessionibus sibi in proprietatem datis cum alia Ecclesia et aliis fundis; non permutabantur tituli beneficiorum cum respectivis redditibus illi titulo adnexis, sed permutabantur ex una parte Ecclesiae, ex altera proprietates; unde si excessus pretii fundorum erat ex una parte, poterat compensari ab altera, pecunia interveniente, sicut permittitur cum solemnitatibus juris, ut unus Beneficiatus partem dotis sui beneficii permutet cum aliis fundis alterius beneficii, et excessus pretii ex una compensetur ab altera parte addendo proportionaliter pecuniam. E contra in casu nostro permutantur tituli beneficiorum, quibus est adnexa perceptio fructuum, et verificatur in hoc dictum Pontificis in *can. 7^o caus. 1^{ae} quaest. 3^a*: « *qui connexorum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* At ex hoc jam dignoscitur, quod talis compensatio intervenire nequit, neque accedente auctitate cujuscumque Praelati Pontifice inferioris, contra ac nonnulli antiqui interpretes sentiebant, non bene unum ab altero casu distinguentes. Contra vero id fieri

potest venia Pontificis, quia ex auctoritate Sedis Apostolicae factum est, ut jus percipiendi redditus temporales adnecteretur istis titulis; Pontifex proinde resolvere potest, seu dividere partem reddituum a titulo unius beneficii, alterique tribuere; idem vero est sive pars ista solvatur in fructibus, aut in pecunia; et sic numerata pecunia intervenit. Ceteri inferiores Praelati id facere nequeunt, quoniam ipsis concessum hoc non est.

TITULUS XX.

De Feudis.

1.^o Inter res, et jura Ecclesiae potiora computabantur feuda tempore collectionis Gregorianae et subsequentibus temporibus; unde est quod ex jure feudali, ac ex Constitutionibus Romanorum Pontificum plura excerpta sunt, et relata in canonum collectionibus; prout pariter explicatur, cur commentatores juris canonici fuse de hac materia locuti sunt, tum de feudis, quae de bonis ecclesiasticis ab Ecclesia concedebantur, tum de iis, quibus plures Sedes Episcopales et Abbatiales fuerunt ab Imperatoribus donatae. Haec omnia replicatis usurpationibus disparuerunt, et hodie vix est, quod unus aut alter Episcopus antiquos servet honores titularum, omnibus tamen juribus praesertim lucrativis et feudali jurisdictione deper-

data, quemadmodum Ecclesia non obtinet amplius feuda, quae aliis largiatur. Unde est, quod de hoc titulo nonnulla breviter trademus historiae gratia.

2.^o Feudum formaliter sumptum definiri poterat: « benevola, libera ac perpetua concessio rei » immobilis, aut aequivalentis, qua istius dominium » utile, proprietate retenta, sub obligatione fidelitatis et servitii, seu obsequii personalis exhibendi » transfertur. » — Unde concedens dicebatur dominus: donatarius autem vasallus, seu feudatarius. Concessio haec dicebatur perpetua, quia transibat ad descendentes et haeredes. Feudum vero dicebatur ecclesiasticum *stricto sensu*, quod ab Ecclesia, vel ejus Praelato de bonis ad Ecclesiam, vel Monasterium pertinentibus constituebatur; lato autem sensu quod Ecclesia per suos Praelatos ab aliis etiam saecularibus obtinebat, quatenus donatione hac peracta, illa bona et jura acquisita computabantur inter bona et jura Ecclesiae: quia donatio haec non personam illam investitam directe respiciebat, sed Ecclesiam, vel Praelaturam. Unde hoc erat privilegium, quod propter delictum, vel infidelitatem Episcopi, vel Abbatis amittebatur quidem feudum, et ad dominum redibat, quamdiu delinquens in praelatura maneret: sed eo mortuo aut deposito, successori ipsius erat restituendum, cum delictum Praelati non deberet nocere successori, vel Ecclesiae.

3.^o Contractum feudi, per quem acquirebatur *jus ad rem*, seu *personale*, sequebatur *investitura*,

per quam acquirebatur *ius in re*, seu possessio feudi; et erat actus sollemnis, per quem vasallus, seu feudatarius in possessionem rei feudalis mittebatur, simulque domino ad fidem obligabatur; eratque investitura altera *propria*, altera *impropria*: propria erat ea, quam indicavimus; impropria vero, quando feudum absque corporali traditione possessionis solemniter cedebatur, tradendo alicui signum pro re, ut sceptrum, vexillum, gladium etc.: postquam ceremoniam investitus propria auctoritate apprehendere feudi possessionem poterat: haec autem investitura renovari debebat mutata persona vel domini, vel feudatarii. — Celebris est quaestio investiturarum, quae a tempore Gregorii VII magnis animis inter Imperium, et Pontifices exagitata, tandem sub Callisto II Romano Pontifice finita est per concordiam initam ab hoc Pontifice cum Henrico V Imperatore *anno 1122*. — Duplex erat excessus Imperatorum hac in re; imprimis enim Imperatores impediabant liberam electionem Episcoporum et Abbatum, cum vix habita notitia mortis alicujus ex Episcopis, vel Abbatibus feudatariis Imperii, statim personam ipsi designabant, quae habiturus esset feudum, et ei concedebant investituram; ac proinde Electores ecclesiastici tenebantur eum eligere in Episcopum, vel Abbatem, qui jam ab Imperatore fuerat in feudatarium nominatus, cum ex concessione feudi facta Ecclesiae deberet feudum pertinere ad Sedem illam Episcopalem, vel Abbatialem. — Alter excessus in hoc erat, quod feudi

investitura dabatur per symbola, quae erant propria Episcopatus, vel Abbatiae, non autem feudi, nempe per *anulum et baculum pastoralem*; ex quo hoc scandalum in populo christiano exortum erat, nempe Episcopalem et Abbatialem dignitatem, cujus illa erant symbola, venire per concessionem imperialem, eamque spiritualem potestatem non a Pontifice et Ecclesia per missionem concedi, sed eam missionem haberi ab Imperatore. — Composita, inquam, ista controversia est per illam concordiam, cujus tenor respiciens praesentem quaestionem hic est: « In nomine Sanctae et in- » dividuae Trinitatis. Ego Henricus Dei Gratia » Romanorum Imperator Augustus, pro amore » Dei, et Sanctae Romanae Ecclesiae, et Domini » Papae Callisti, et pro remedio animae meae, » dimitto Deo, et Sanctis ejus Apostolis Petro et » Paulo, et Sanctae Catholicae Ecclesiae omnem » investituram per anulum, et baculum, et concedo » in omnibus Ecclesiis fieri electionem, et liberam » consecrationem... Ego Calistus servus servorum » Dei, dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum » Imperatori Augusto, concedo electiones Episco- » porum, et Abbatum Theutonici Regni, qui ad » regnum pertinent, in praesentia tua fieri, absque » simonia, et aliqua violentia, ut si qua inter partes » discordia emergerit, Metropolitanis, et Provin- » cialium consilio, vel iudicio, saniori parti as- » sensum, et auxilium praebeas. Electus autem » regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis

» omnibus, quae ad Romanam Ecclesiam pertinere
» noscuntur, et quae ex his jure tibi debet, fa-
» ciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecra-
» tus infra sex menses regalia per sceptrum a te
» recipiat. »

TITULUS XXI.

De Pignoribus, et aliis cautionibus.

1.º Titulus hic, et sequens loquitur de cautionibus: proinde prius de cautionibus in genere, deinde de aliquibus in specie verba faciemus. Cautio in genere est « securitas alteri praestita de adimplemento obligationis erga eum assumptae. » — Haec autem cautio triplex in jure distinguitur, nempe *simplex*, *juratoria* et *idonea*. Cautio simplex est *nuda promissio*; fidimus enim in honestate promittentis, quod ipse velit, et possit id adimplere, quod spondit; quae ideo simplex cautio dicitur, quia non est distincta a susceptione obligationis, sed ratione securitatis alicujus vocatur cautio, atque ex hoc in quacumque obligatione exigitur, sine qua non stat quaelibet obligatio. — Ejusdem generis, licet diversae speciei, est cautio juratoria, quam is

praestat, qui suam assertionem, seu promissionem juramento interposito firmat. Hanc plus praestare, quam simplicem assertionem explorati juris est; sic in judiciis non sufficit testis assertio, nisi juramento sit communita, et aphorismus legalis est: « testis non-juratus non est testis. » Haec cautio juratoria aliquando sufficit ex *cap. 8 h. t.* pro usufructuario ad dandam securitatem, quod re in usumfructum data usurus sit, salva ejus substantia, scilicet eo saltem casu, quo cum sit honestus et religiosus nequeat invenire fidejussores, nec habeat quod in pignus det; alioquin sequestranda erit res in usumfructum concessa apud tertium in defectu cautionis idoneae, et fructus erunt usufructuario praestandi.

2.º At cautio idonea ea est, quae omnino tutum moraliter eum reddit, in cujus favorem suscepta est obligatio; et praestatur per pignora, vel per fidejussores; unde haec cautio dicitur vel *pignoratitia*, vel *satisdatoria*; atque de prima hoc titulo, de altera in sequenti agitur. — Pignus habetur, quando res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti. — Hoc sub respectu pignus convertitur cum hypotheca, cum tam unum, quam altera importet, ut res aliqua obligetur creditori in securitatem debiti, et habetur jus rem distrahendi, si debitor sit in culpabili mora solvendi. Differunt tamen in hoc, quod res pignori data transit in possessionem creditoris, quamvis dominus permaneat debitor; in hypotheca vero, res manet quoque in posses-

sione debitoris, obligata tamen creditori; et si ad alium transeat, semper hoc vinculum perdurat. — Utrumque vero est vel *voluntarium*, vel *necessarium*: et prius de voluntario loquemur; et est vel *expressum* vel *tacitum*. *Expressum* consistit in ipso contractu pignoratitio, qui definiri potest: « con- » ventio, qua res aliqua obligatur creditori in se- » curitatem debiti. » Si aptetur haec definitio pignori, tunc contractus est *realis*, ultra consensum scilicet importans rei traditionem factam creditori: si autem aptetur hypothecae, est *consensualis*, quia consensu solo perficitur, licet deinde ex legibus civilibus non habeat effectum nisi reddita sit publici juris. — Tacita hypotheca habetur, quae ex facto aliquo inducitur sine expressa conventionem, quod factum jus interpretatur pro hypotheca concessa, ut in rebus ab inquilino illatis in praedium urbanum conductum constituitur hypotheca favore locatoris pro pensione, et pro deterioratione ipsius rei locatae ex *leg. 2ª et 4ª ff. In quibus pign. vel hypoth. tacit. contrahit.* et *leg. fin. cod. eod.*, dummodo eo animo inductae fuerint, ut ibi quasi perpetuo maneant ex *leg. 7ª §. 1º ff. eod.* — *Necessarium* vero pignus est, quod contingit absque ullo facto debitoris, imo contra suam voluntatem, et est vel *praetorium*, vel *judiciale*. — Praetorium est quod a Magistratu constituitur ante latam sententiam, dum creditor mittitur in possessionem vel quasi-possessionem rerum debitoris, ut ipsi cautum sit, vel ad frangendam contumaciam rei,

*Pro. = traditio creditori et tunc in possessionem
Hypoth. = remaneat apud debitorem, sed obligatio creditorem
alio de jure = leg. in re mobili
alio de jure = leg. in re immobili
in re mobili = hypoth.*

qui non volebat litem contestari ex *leg. 1^a et 2^a cod. de praetor. pignor. et toto titulo XV lib. II Decretalium « De eo qui mittitur in possessionem causa rei servandae. »* — Hypotheca pariter inducitur in favorem aliquorum creditorum, quin praecesserit ullum hominis factum, et dicitur hypotheca *legalis*; ut uxori competit in bonis mariti pro securitate et restitutione dotis, imo et bonorum paraphernalium, quorum ille administrationem habet ex dispositione juris communis civilis, ut ex *cap. 5^o h. t.*, aliisque in aliis casibus in jure notatis. — Hypotheca demum esse potest *generalis*, vel *specialis*. Specialis afficit bona aliqua certa et determinata; generalis, quae comprehendit omnia bona debitoris tam praesentia et jam acquisita, quam futura et acquirenda, quamvis istorum non sit facta mentio, cum aliquibus exceptionibus ab Auctoribus et legibus particularibus notatis. At ista omnia ex modernis codicibus aliquarum nationum variationes nonnullas passa sunt, et praecipue ex codici civili italico, quarum variationum tenorem indicamus, ne praejudicia in praxi obveniant Ecclesiis et causis piis. Attendendi praecipue sunt, *articulus 1965*: « L'ipoteca non ha effetto, se non è resa pubblica, e non può sussistere che sopra beni specialmente indicati e per somma determinata in denaro. » *Articulus 1977*: « L'ipoteca convenzionale non può costituirsi sui beni futuri. » *Articulus 1981*: « L'ipoteca si rende pubblica mediante iscrizione nell'ufficio delle ipoteche

del luogo, in cui si trovano i beni gravati: » alique, qui modum inscriptionis determinant. — Pro hypothecis jam vigentibus ex antiquis Codicibus, etsi non inscriptis, vel pro renovatione jam inscriptarum, ut ad formam fierent dicti Codicis data est ratio in « *Dispositionibus transitoriis pro actualione ejusdem Codicis Civilis art. 37, 38 et 41.* » Ex quibus liquet multum esse coercitum tenorem antiquarum dispositionum; quae omnia maxime sunt attendenda, ne causis piis irreparabile eveniat damnum.

3.^o Prohibentur vero dari in pignus res sacrae, vel sacra supellex, quae scilicet divino cultui inservit, nisi gravis necessitas et causa imperiosissima sit ex *cap. 1^o h. t.*: quo casu laicus non habet jus pignoris in re sacra, sed nudam detentionem usque dum pecunia restituatur. Sicut non potest oppignorari homo liber *cap. 2^o h. t.*, quae res ne concipi quidem nostris moribus potest, quod jure fiat. Hypothecae speciali Praelatus insuper non valet subjicere res Ecclesiae etiam pro justa causa, nisi interveniant juris solemnitates ex *cap. 5^o de rebus Eccles. alienand.* Nec Praelatus in propriam utilitatem potest oppignorare res Ecclesiae ex *cap. 3^o h. t.*; quia non est dominus. Beneficia et pensiones ecclesiasticae pignori dari non possunt, cum sint res sacrae, et in jure spirituali fundatae. Nec demum res alienae, nisi consentiente domino, aut saltem ratum habente: nec item res litigiosae. — Pignore autem constituto apud cre-

ditorem, is illo uti non potest in scio vel invito debitore, secus furti convinci potest ex rigore juris civilis ex *leg. 54 ff. de furtis*. — Fructus pariter qui percipiuntur, cedunt habenti pignus, computandi tamen in sortem principalem; ex pignore enim lucrum facere usurarium est ex *cap. 1° et 2° de usur.* Imo in sortem principalem debent computari fructus quoque, qui percipi potuissent, nisi ex lata vel levi culpa creditoris periissent, cum creditor in hoc contractu inducto in sui exclusivam utilitatem, seu securitatem, debeat eam diligentiam adhibere, quam diligens pater familias in suis servandis rebus impendere solet. Sunt tamen tres casus in jure notati, in quibus creditor non imputat in sortem principalem fructus perceptos: — 1° cum feudum est domino oppignorum et interim obsequium non praestatur ex *cap. 1° de feud.*; deficientibus enim obsequiis, non est ratio cur feudatarius habeat fructus, sed potius ad dominum spectant: — 2° cum maritus percepit fructus ex fundo in pignus dato pro dote promissa a socio ex *cap. 16 de usur.*; dos namque est frugifera, et fructus fundi pignori sunt loco fructuum dotis: — 3° cum Clericus percipit fructus ex bonis beneficii, quod suum est, sed injuste detinetur a laico, et deinde sibi in pignus eadem bona data sunt ex *cap. 1° de usuris*: sunt quippe fructus ad Clericum pertinentes, quibus injuste privatus erat.

4.° Ast quaeritur, an possit in pignore constitui pactum antichryseos, vel pactum legis commiss-

soriae? Et quod attinet ad pactum antichryseos, istud importat ut inter debitorem et creditorem conveniatur hunc posse re oppignorata uti, donec reddatur debitum, aut usque ad id temporis fructus ex re oppignorata percipere valeat non imputandos in sortem principalem. Atqui hoc pactum est illicitum et usurarium ex *cap. 1° et 2° de usuris*, et *cap. 6° h. t.*: sunt enim hi fructus ultra sortem, nec creditor duplex ex pignore beneficium suscipere potest; primum enim beneficium habet securitatis sui crediti; alterum vero susciperet in fructibus sibi habendis absque ulla ratione. Ea autem, quae diximus, non important, quod creditor ex fructibus pignoris non valeat compensationem sibi facere sumptuum, quos circa rem oppignoratam fecit, si moderati isti sint et necessarii, vel utiles, ut communiter tenent Doctores ex claris juris principiis. Ex quo eruitur a jure canonico fuisse correctum jus civile, quod hoc pactum non obscure admittebat *leg. 1° et 11° ff. h. t.* — Pactum vero legis commissoriae est, cum creditor convenit cum debitore, ut si infra certum tempus debitum solutum non fuerit, pignus deinde libere pertineat ad creditorem, sit ei venditum, vel in solutum datum, vel in feudum; quod pactum tamquam illicitum et invalidum reprobatur *cap. 7° h. t.*, nec valet etiamsi debitor renuntiaverit huic juris dispositioni: per se enim est iniquum. Ratio vero haec est, quia pignus de se semper plus valet, quam importet creditum, pro quo datum est; unde cre-

ditor ex hoc pacto aliquid ultra sortem exigeret. Secus autem est, si ita paciscerentur partes, ut, si infra certum tempus debitum non solvatur, creditor lucretur rem pignori datam, sed pro justa aestimatione, quia tunc emolumentum pacti est tantum acquisitio rei; sed pretium est justum, et si erit locus refectioni excessus, fiet. — Satisfacto autem credito, in cujus securitatem pignus, vel hypotheca constituta est, res pignori data redit in possessionem domini, et hypotheca tollitur.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

1.° Fidejussio est « contractus, quo quis pro » mittit se soluturum quod alius debet, si debitor » principalis non solverit. » Unde fidejussio supponit obligationem alterius principalem, quae ex fidejussione non tollitur, sed permanet; si enim haec ex assumpta nunc obligatione cessaret, et liberaretur debitor principalis, non tam fidejussio, quam *expromissio* nuncuparetur. Subsistit ergo obligatio principalis accedente fidejussione, ex qua quis solvere tenetur, si reus principalis non solvat. Unde si obligatio principalis est invalida, vel a jure reprobata, fidejussoria quoque obligatio decedit, et invalida est ex *regula 178 ff. et reg.^a 42 juris in VI.*° Unde est quod recte concludat Schmalzgrueber hic *num.*° 2°, quod si quis fidejubeat in

promissione usurarum, vel rei temporalis pro beneficio ecclesiastico, vel alia re, aut jure spirituali, vel quod huic adnexum est, fidejussio est irrita, quia hujusmodi promissiones jure sunt reprobatae: et idem dicendum de ceteris contractibus, sive deinde illi ex ipsa rei natura, sive ex humani juris dispositione reprobentur. Et *num.* 6^o subjungat parum referre, si obligatio principalis, cui adjicitur fidejussio, sit naturalis et civilis simul, sive naturalis tantum; nam etsi prior obligatio sit solum naturalis, ipse tamen fidejussor obligabitur etiam civiliter et efficaciter. Quemadmodum nihil refert an obligatio oriatur ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi; nam fidejussores possunt dari quoque in causis criminalibus, aut civiliter actis, aut etiam criminaliter, dummodo poena non sit alia quam mulcta pecuniaria, quam potest solvere aut debitor principalis, aut fidejussor.

2.^o Indulgere fidejussionibus Clericis interdictur, ne saecularibus negotiis implicentur, licet poena in *cap. 1^o h. t.* comminata exoleverit; fidejussiones autem si fecerint, ex iis conveniri possunt, et satisfacere tenentur vel ex suo patrimonio, vel ex redditibus proprii beneficii. Est hic autem notandum, ut advertit Giraldi in *oper. cit.* part. 1^a sect. 465, quod ex decreto S. Congregationis Concilii diei 15 Martii 1642 sicuti Clerico constituto in sacris interdicta est alienatio patrimonii sine licentia Episcopi, ita etiam fidejussio super bonis et fructibus ejusdem patrimonii; juxta

tamen sequentem hanc declarationem sub *die 3 Feb. 1604*, prout reperitur *lib. XVII Decretorum dict. Cong. pag. 18*, S. Congregatio Concilii censuit, neque in ejusmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum necessariis executioni locum esse posse: licere autem capere in causam judicati eam fructuum partem, quae quotannis superesset ultra eam, quae ad Ordinatum sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, judicis ecclesiastici arbitrato fuerit necessaria. Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod per mortem ipsius promoti ad creditorem, uti res haereditaria, pertinebit. — Praelato etiam interdicitur ex *can. 29 caus. XI quaest. 1^a* fidejussio: si autem fiat nomine proprio, tunc valet, et tenebitur de bonis suis patrimonialibus, vel de redditibus suae mensae; at si faciat fidejussionem nomine Ecclesiae irrequisito Capitulo, aliisque solemnitatibus juris posthabitis, Ecclesia non obligabitur. — Religiosus demum fidejubere nequit sine sui Abbatis, et majoris partis Capituli licentia ex *cap. 4^o h. t.* At cum tali licentia ei licet fidejubere in re parva, raro et ex rationabili causa: secus non tenebitur Conventus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse; et pluribus id ostendit Giraldi *oper. cit.* part. 1^a sect. 446.

3.^o Effectus fidejussionis est, ut fidejussor obligetur erga creditorem, et hic poterit eum con-

venire, ut solvat quod debitor principalis debebat; et quidem jure romano antiquo licebat creditori convenire fidejussorem aequae ac reum principalem, imo et ante illum ex *leg. 2^a et 5^a cod. h. t.^o* Sed deinde inductum est ex *novell. 4^a et auth. praesente cod. h. t.^o* beneficium *ordinis*, seu *excussionis*, quo fidejussor a creditore conveniri non potest, nisi prius excussus ab eo sit debitor principalis; cui tamen beneficio fidejussor renunciare potest, et fidejussores semper adiguntur ad hanc renuntiationem: proinde hoc beneficium in praxi non verificatur. At si sint plures fidejussores in solidum quoque obligati, et creditor ab uno velit universum creditum exigere, hic invocare potest beneficium *divisionis*, ut alii quoque fidejussores pro parte virili concurrant ad debiti solutionem, dirigendo hanc exceptionem contra creditorem, ut pro hac parte eos conveniat § *si plures instit. h. t.^o*, ex *leg. 3^a cod. et leg. 26 digest. h. t.^o* Quod si fidejussor his beneficiis uti nequeat, ei superest beneficium cedendarum actionum, ex quo a creditore, qui totum creditum a fidejussore exegit, petitur ut huic *cedat actiones*, quas adversus debitorem principalem, confidejussores reliquos, et pignorum possessores habet ex *leg. 13 et 17 digest. et leg. 11 et 21 cod. h. t.^o*: quae omnes leges obtinent etiam plene in foro ecclesiastico.

4.^o Fidejussor generaliter loquendo nullam habet actionem adversus creditorem, nisi postquam pro ipso solverit; sed ex tunc ei competit actio

ad indemnitatem ex mandato ex *cap. 2^o et 3^o h. t.^o* Nihilominus nonnulli sunt casus, in quibus etiam ante debiti solutionem hanc contra debitorem principalem valet actionem exercere, et isti casus notantur in *cap. 5^o h. t.^o* nempe: — 1^o si debitor principalis diu solvere distulit: — 2^o quando incipit bona sua dissipare, si post inchoatam dissipationem se non emendaverit: — 3^o quando fidejussor in judicio condemnatus est ad solvendum, et idem est si post conclusionem in causa manifeste sit in periculo condemnationis.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

1.^o Solutio proprie et stricte sumpta, est « ido-
 » nea ac sufficiens debiti praestatio, seu satisfactio
 » tempore et loco conveniente legitime facta. »
 Quae definitio non eget expositione, nisi quod at-
 tendendum sit in ea non dici, quod solutio debeat
 fieri creditori; nam aliquando etiam alteri fieri
 potest, puta ex sequestratione crediti etc.—Quaestio
 satis antiqua est, an solutio facienda sit in eadem
 specie monetae, in qua mutuuum factum est, quaeve
 esset conventa, vel secus? Et communiter respon-
 debatur de se valere solutionem in quacumque
 monetae specie, dummodo esset moneta currens et
 valens, neque enim in solutione attenditur materia,
 sed valoris aestimatio: ex *leg. 1^a ff. de contrah.
 empt.* Ast nostris diebus quaestio haec implicatior

evasit, propterea quod a Guberniis civilibus, et
 praesertim a Gubernio italico usque adhuc propo-
 sita est moneta papyracea, ejusque receptio facta
 est obligatoria, atque in lege praescriptum est, *ut
 ipsa recipiatur pro suo valore nominali prout
 quaevis pecunia, non obstante quavis contraria
 dispositione legis, aut pacto conventionali.* Ita habet
 lex civilis 1 Maii 1866 *sul corso forzoso della
 carta moneta art. 3.^o* Disputantibus ex utraque
 parte theologis et canonistis, quaestio delata ad S.
 Congregationem Universalis Inquisitionis in genere
 non fuit resoluta, imo dilata pro ulteriori examine,
 tamen ad instantiam Episcopi Veronensis pro du-
 bio: « an privata pacta in hac re amittant suam vim
 per subsequentem legem civilem ea irritantem? »
 respondit sub *die 20 Aprilis 1876* ad casum: « Mu-
 tuatarium, qui aureos nummos vulgo *marenghi*
 accepit, et promisit solutionem sortis et fructuum
 in eadem monetae specie, sin minus additamentum
 differentiae, quod vulgo dicitur *aggio*, inter con-
 ventam pecuniam illamque papyraceam, tuta con-
 scientia solvere non posse creditori rationabiliter
 invito monetam chartaceam depretiatam pro valore
 nominali. » Sicut in alio casu *Urbis* sub *die 12
 Septembris 1877* idem responsum datum est.

2.^o Quid autem fiet si debitor solvendo non
 est? Debitor non privilegiatus omnes molestias
 potest declinare, si omnia bona sua creditoribus
 dimittat, quae dicitur cessio bonorum, et promittat
 se, cum ad meliorem fortunam devenerit, satisfac-

cturum pro residuo; cum ejus bona non fuerint sufficientia. — Aliqui tamen debitores sunt privilegiati; et ex *cap. 3^o h. t.^o* sunt Clerici; qui ex privilegio *competentiae* ad instar militum jure romano, bonis omnibus cedere non tenentur; at possunt sibi reservare quod ad tenuem victum et sustentationem sibi est necessarium, dummodo exhibeant cautionem idoneam, aut saltem juratoriam, quod si ad meliorem fortunam devenerint, debita sint soluturi. Ad interpretationem tamen hujus capituli retinendum est hodie post Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 3^o de reform.*, neque in hac specie, neque in aliis judicialibus processibus posse per judicem indiscriminatim adhiberi gladium censurarum, prout antiquitus erat etiam in *casu contumaciae praesumptae*, sed esse locum aliis poenis: vide Fagnanum in *cap. 3 h. t.^o num.^o 4.^o* At vero hoc *competentiae* beneficium limitatur ut non concedatur: — 1^o propter actiones reales, sed tantum personales: — 2^o neque propter actiones ex delicto, vel quasi delicto: — 3^o nec Clerico denegante, sed tantum confitente debita sua, quibus ex mala fortuna occurrere nequit: — 4^o neque demum Clerico conjugato, qui, ut dictum est *titulo III hujus libri*, hoc privilegium non conservat. Cui privilegio Clericus renunciare nequit: inductum siquidem est in honorem coetus. — Ex *cap. 2^o h. t.^o* successor in Praelatura, vel beneficio tenetur solvere debita ab antecessore contracta, si ea inita sint nomine Ecclesiae, vel pro ejus necessitate, vel

utilitate; sicut pariter ex iisdem redditibus Ecclesiae sunt ea debita dimittenda, quae pro necessitate Rectoris, vel Praelati antecessoris fuerunt contracta, praesertim si ab eo nulla bona patrimonialia fuere relicta; inter quae sunt etiam expensae funerum.

3.^o Hic a Doctoribus proponitur quaestio de solutione indebiti, et de sic soluti repetitione, seu conditione. — *Condictio indebiti* definiri potest: « actio personalis, quam quisque habet contra eum, cui indebitum, idest aliquid, quod ei non debebat, per errorem solvit. » — Porro indebitum aliquid tripliciter dici potest, nempe: — (a) *naturaliter et civiliter*: — (b) *naturaliter non civiliter*: — (c) *civiliter non naturaliter*. — Exemplificant id Doctores, ut quando nulla est ratio obligationis dicitur indebitum naturali et civili jure: si autem summo jure civili esset obligatio, et non jure naturali, ut ex chirographo continente obligationem restituendae numeratae pecuniae, quod quis fecit sub spe ejusdem recipiendae, sed numquam numeratae, saltem post biennium cessante exceptione habetur obligatio civilis, sed nulla naturalis, cum pecunia recepta non sit; tunc indebitum est naturaliter, sed civiliter debitum. At si ex pacto nudo quid promissum sit, cum pacta nuda obligationem civilem non pariant, bene vero naturalem, tunc indebitum id dicitur civiliter, sed naturaliter debitum. Similiter quis indebitum potest solvere: — (α) sciens se indebitum solvere: — (β) ex ignorantia,

seu melius ex errore, quae ignorantia et error esse potest vel juris, vel facti: — (γ) indebiti solutio fieri potest in dubio an hoc sit debitum, nec ne. — Quibus positis circa indebiti condictionem dantur sequentes conclusiones. — I° Qui sciens se non debere tamen solvit, non potest indebitum repetere, quia censetur donasse, et id apertissimis juris textibus probatur, nempe ex *leg. 1^a Digest. de condict. indebiti*: « *si sciens se non debere solvit, cessat repetitio*: » et in *reg.^a 53 Digest. de regul. jur.*: « *cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est*. » Et hoc valet etiamsi quis solveret indebitum ea mente, ut deinde repeteret, prout constat ex *leg. 50 Digest. de condict. indeb.* — II° In genere ad indebiti repetitionem non juvat ignorantia juris, praesertim si sit affectata, vel crassa, bene vero ignorantia facti; prout clare patet ex *leg. 10 cod. de juris et facti ignorant.*; ibi: « *cum quis jus ignorans indebitam pecuniam solvit, cessat repetitio; per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est*: » et *lex 9 § 3^o Digest. eod. tit.^o*: « *juris ignorantiam non prodesse Labeo ita accipiendum existimat, si juris consulti copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit, ut cui facile sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia*. » Ratio generalis est tum quia non praesumitur talis ignorantia, tum quia, si est, punitur. Hoc autem dicimus de rigore juris civilis, quamvis non desint textus, ex quibus demonstratur

aliquando dari condictionem indebiti ex errore juris quoad eas saltem personas, quae ignorantia juris non imputatur. Inter canonistas praevaluit sententia contraria, ut etiam in errore juris admittatur condictio indebiti, Gonzalez in *cap. fin. h. t.^o num.^o 5.^o* In primis enim non solum non constat de animo donandi, sed neque praesumitur hic animus in eo, qui solvit ex errore juris. Quo excluso, qui solutum possidet, absque ullo titulo id retinet, et subintrat ratio aequitatis jam supra enunciata. Unde in foro canonico obtinet dari repetitionem indebiti ex errore juris quoque. Codex civilis italicus id etiam admittit in *art. 1146*: « *Chi per errore si credeva debitore quando abbia pagato il debito, ha il diritto di ripetizione contro il creditore. Cessa però tale diritto, se il creditore in conseguenza del pagamento si è privato in buona fede del titolo e delle cautele relative al credito; nel qual caso è salvo a colui, che ha pagato, il regresso contro il vero debitore*. » In quo articulo comprehenditur expresse etiam error, seu ignorantia juris. In subsequentibus autem articulis expenditur quid repeti possit hac condictione, prout creditor vel bona, vel mala fide recepit indebiti solutionem. — III° At vero si indebitum naturaliter et civiliter fuerit per errorem facti solutum, condictio indebiti habet locum; et suppetit legalis et naturalis ratio. Ex lege quidem, cum ex *leg. 8^a Digest. de juris et facti ignorant.* dicatur errorem, sive ignorantiam facti in

damnis, imo etiam in compendiis, seu lucris nemini nocere. Ratio vero naturalis suppetit, cum id sine causa penes accipientem sit, et naturalis aequitas non patiatur, ut aliquis cum aliena jactura locupletetur ex *leg. 14 Digest. de condict. indeb.* — IV° Idem servatur, quando solutum est per facti errorem quod debitum civiliter erat, sed naturaliter indebitum. Cui enim datur exceptio ex *leg. 7^a cod. de non numer. pecun.* huic datur etiam repetitio. Quod et ratio naturalis suadet, cum hic titulus civilis non est nisi simulacrum ex rigore juris inductum, sed nullo juris naturalis fundamento fulcitum; unde nulla vera ratione ille possidet, cui talis summa soluta est, et proinde superveniunt rationes antecedentis conclusionis. — V° At si per facti, vel juris errorem id solutum est, quod erat naturaliter debitum, etsi civiliter indebitum; huic repetitio non competit. Illa enim aequitas naturalis, quae repetitionem indebiti repositabat in tertia et quarta conclusione, eadem contrarium dictat in hac conclusione quinta, cum aequitas illa fuerit, quae hanc obligationem naturalem induxit. — VI° Jus repetendi indebitum sese extendit etiam ad eum, qui dubitans an debitum esset, tamen solvit ex *leg. fin. cod. de condict. indeb.*; quia, ut monet *reg.^a 41 Digest. de Regul. Jur.*, « *in re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro;* » prout sese extendit ad eum qui solvit, quod promisit sub conditione incerta de futuro, aut in diem incertam, ut repetat

ante eventum conditionis, aut ante illum diem. Et haec incerti repetitio sustinetur etiam cum non extat id, quod solutum est; nam potest peti extimatio, quantum scilicet ex re alienata, vel consumpta, ditior factus est ille, qui accepit, licet non possint peti usurae, aut fructus mere civiles, vel industriales. Extenditur pariter actio ad repetendam extimationem facti per errorem praestiti, aut negotii utiliter gesti. Sicut demum competit, si quis non tantum suo, sed quoque si alieno nomine indebitum solvit. Omnibus enim hisce in casibus succurrit eadem ratio aequitatis; et proinde valet illud juris principium: « ubi est eadem ratio, ibi debet esse eadem juris dispositio. » — At cui incumbit onus probandi fuisse indebitum quod solutum est? Respondet huic interrogationi jus ecclesiasticum in *cap. fin. h. t.*° apprime conveniens cum dispositione juris civilis in *leg. 25 Digest. de probat.* Si enim ille, contra quem condictio indebiti proposita est, fatetur se pecuniam recepisse, sed negat eam esse indebitam, tunc qui agit conductione probare tenetur se indebite solvisse, quia *actoris est probare* secundum vetus juris principium. At si ille fuerit inficiatus se summam recepisse, tunc probato per actorem, quod hanc summam dederit, ejus deinde erit demonstrare fuisse ex debito solutam; et jure quidem, cum contra se dederit suspicionem se ideo negasse factam solutionem, quia facile contra ipsum poterat ostendi esse indebitam. — Ultimo notandum

est hanc competere actionem ei, qui eidem renuntiavit, ut communis Auctorum sententia tenet: supponitur enim hanc renuntiationem ex errore processisse, quia renuntians putabat se debere solvere; secus vero, si haec renuntiatio facta fuerit etiam pro casu, quo comperiretur indebitum solutum esse; quia tunc error cessat, et succedit donatio. — Non loquimur in hoc titulo de occulta compensatione, ut plures faciunt Commentatores; nam talis quaestio spectat exclusive ad Theologiam moralem.

TITULUS XXIV.

De donationibus. positivus contractus in hoc libro

1.º Donatio ex pluribus textibus legum solet a Doctoribus definiri: « liberalitas in accipientem, nullo jure cogente, facta; » vel ut alii magis explicitè definiunt, « est rei licitae, nullo jure cogente, ex liberalitate facta collatio, ab accipiente acceptata: » in qua definitione sunt advertenda: — 1º ut res non sit donari prohibita: — 2º ut ex justitia non sit debita: — 3º ut habeatur rei donatae traditio, quia donatio non perficitur nisi traditione reali, vel aequivalente, quae sufficiat ad transferendum dominium, et sine hac imperfecta est, ac incompleta: — 4º demum, ut sit acceptata; ante hanc enim acceptationem nec naturaliter, nec civiliter obligat donatio, et donans suam voluntatem mutare potest. — Cui

ultimae conditioni una est exceptio si donatio fiat Ecclesiae, vel causae piae; tunc enim regulariter habet vim voti, quod statim a Deo acceptatur, et ideo obligat saltem *vi religionis*, *argum. can. 3 caus. 12 quaest. 2^a*: sed antequam ab administratore acceptetur, Ecclesia, vel causa pia nullum jus rigorosum acquirit; proinde est quod Ecclesia contra Praelatum non acceptantem, vel rejicientem absque causa donationem habeat actionem ad indemnitatem, nisi velit petere in integrum restitutionem ad lucranda rem donatam; hinc hujusmodi vota ante acceptationem mutari adhuc, vel dispensari possunt ab Episcopo, aut alio habente potestatem. — Donatio vero multiplex est; et — (a) alia est perfecta, qua res traditur et dicitur *realis*, alia imperfecta, qua res per verba de praesenti donatur, sed statim non traditur, ac dicitur *verbalis*: insuper — (b) alia est *pura*, alia *conditionalis*, prout adnectitur voluntas donandi conditioni, aut absque conditione procedit: — (c) alia *gratuita*, quae importat meram liberalitatem, et proprie est donatio; alia *remuneratoria*, seu propter merita, quae donatarius respectu donantis habet, quaeque non dicitur mera liberalitas, sed magis gratitudinis effectus, quae aliquando etiam posset retributionem in judicio exigere, etsi a iudice taxandam secundum suum prudens arbitrium: — (d) demum donatio alia est *inter vivos*, alia *mortis causa*: *inter vivos* quidem, cum quis simpliciter ea mente donat, ut rem statim velit fieri accipientis, nec ullo casu ad

*Inter vivos = documentum publicum, firmiter et acceptatum.
Mortis causa est nuda, sicut gratia.*

se reverti, et haec est vera donatio; cum donatio *mortis causa* propter mortis suspicionem fiat, nec plenam liberalitatem includat, cum quis ea mente sit, ut alteri donet cum per mortem, quam respicit, ei amplius rem possidere non liceat; hinc talis donatio est de sua natura revocabilis: imo si fiat propter metum alicujus instantis periculi, aut discriminis, hoc superato evanescit ipsa facta donatio, quasi quae, non verificata conditione per evasionem a contemplato mortis periculo, nulla fiat. — Hinc in dubio facta donatio censetur potius inter vivos quam mortis causa, cum illa tantum sit vera donatio, et verba in proprio sensu sint accipienda.

2.^o Praelati et Rectores beneficiorum, alique operum piorum administratores licet ex causa aliquas parvas donationes facere valeant de rebus ad Ecclesias pertinentibus; magnas tamen non valent explere nisi existente causa gravi, et adhibitis solemnitatibus juris ex *cap. 2^o h. t.^o et ex extravag. Ambitosae, tit. XIII*; cum donatio inter alios contractus plus Ecclesiis praejudicet. — Causae, quae afferuntur et probantur pro donationibus, sunt vel ratio remunerationis, unde donatio est remuneratoria, vel ratio pietatis et misericordiae, quae ultima admittitur, etsi alienatio, aut donatio sit ingens, dummodo proportionata patrimonio Ecclesiae. — Religiosi si extra Monasterium degant ex indulto, possunt eleemosinas, aliasque honestas donationes facere etiam sine consensu Praelati, quia hujusmodi donationes ad liberam administrationem per-

tinent. Idipsum dicendum est de Religiosis, qui in Monasterio degentes, rem tamen Monasterii administrant; quippe in ipso administrationis officio includitur, ut aliquas parvas valeant donationes ex causa facere; hoc enim importat administrationis officium, aut melius id sinit. Verum qui Religiosi in Monasterio manent non implicati in ejus administratione, cum nullum officium gerant, et nihil proprium habeant, rerumque non retineant nisi necessarium usum juxta regulae rigorem; hinc nullas neque magnas, neque parvas queunt facere donationes absque licentia Superioris. Hunc casum respiciunt duae Pontificiae definitiones satis celebres, nempe Bulla Clementis VIII, quae incipit « *Religiosae Congregationes*, » et Bulla Urbani VIII, quae incipit « *Nuper a Congregatione*, » quique casus est Apostolicae Sedi reservatus, dummodo istae donationes non sint remuneratoriae, sed simpliciter liberales. Ab hoc casu reservato datur a S. Poenitentiarum Confessariis facultas absolvendi fideles sub sequenti forma: « Absolvendi a casu » Sedi Apostolicae reservato ab accepto munere a » Regularibus utriusque sexus: injuncta poenitentia salutari, et quando agitur de muneribus, » quae valorem decem scutorum non excedunt, » imposita aliqua elemosina judicio tuo taxanda, » et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; » dummodo tamen non constet, quod illa fuerint » de propriis bonis Religionis: quatenus vero ac-

remuneratoriae et gratulatioe, sicut in Pontificia Bulla

» cepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum » decem, vel constet fuisse de propriis bonis Religionis, facta prius restitutione; quam si de » praesenti adimplere nequeant, emissa seria promissione restituendi intra terminum tuo arbitrio » praefiniendum; alias sub reincidentia. »

3.º Donatio si est completa rei traditione, nempe si est realis, est titulus proportionatus ad transferendum dominium; si vero est verbalis, tunc donatario competit jus ad rem habendam ex *leg. 12 Digest. h. t.*, et *cap. 1º h. t.*: at in hoc casu donans non dabit usuras, nec fructus, quia res fructificat domino, et donatarius talis non est ante traditionem. Plures autem sunt causae donationis revocandae etiam quando donatio inter vivos, et absolute facta est. Causas has revocationis tres a jure civili inductas recensent Doctores, nempe ut donatio revocetur: — 1º *ob ingratitudinem*, cujus casus expendit et determinat *lex final. cod. de revoc. donat.*: — 2º *ob supervenientiam filiorum* ex *leg. 8ª cod. eod.*: — 3º *si sit inofficiosa* ex *leg. 1ª et seq. cod. de inoffic. donat.* — At ex *cap. fin. h. t.* exceptio quoad has revocationis causas ponitur, nempe quod donatio facta Ecclesiae, Monasterio, vel alteri causae piaae non revocetur ex ingratitudine Praelati, Rectoris etc. cum enim haec donatio sit facta Deo, nequit ista causa cadere in liberalissimum bonorum omnium largitorem. At optime hic advertit cum pluribus Pihring

num.º 37 quod si fructus rei, quae Ecclesiae donationis remuneratio est, ob defectum facti inofficiosa, non revocatur, immo donatio facta Deo vel alteri Praelato qui causam facit Deo.

nata est, ad mensam Praelati, vel ad beneficium Rectoris spectent, iis privari Praelatus, aut Beneficiatus in poenam ingratitude potest ad tempus vitae suae. Sicut pariter advertendum est causas revocationis non attendi in donationibus remuneratoriis, quae non verae donationes quam compensationes sunt; et in donationibus factis ob causam, puta dotis, aut propter nuptias etc., quae pariter non merae liberalitates censentur, aut quia pater filiam dotare tenebatur, aut quia onus donatario impositum est, cui satisfecit.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

1.° Sub nomine peculii Clericorum veniunt bona, quae ipsi habent discreta a patrimonio Ecclesiae. Haec autem bona sunt — 1° *patrimonialia*, quae eis obveniunt ex censu familiae, haereditate, donationibus etc.: — 2° sunt *quasi-patrimonialia*, vel *industrialia*, quae eis obveniunt ex labore in functionibus ecclesiasticis exercendis, aliisque, quae eorum statum respiciunt, eisque a jure permissa sunt, prout eleemosinae Missarum, lucra praedicationis, officii Vicarii, cantus ecclesiastici et alia; nec non redditus stolae, et distributiones, quibus Beneficiati ad interessendum choro alliciuntur; eaque repraesentant peculium quasi-castrense filiorum familias, prout et sequentia bona: — 3° sunt *parsimonialia* ea, quae ex red-

U. B. Camera Apostolica ad vicarium Regium fidei

ditibus mere ecclesiasticis ad congruam sustentationem sibi competentibus, parcius ac honestius vivendo sibi subtrahunt et congregant. Demum — 4° sunt *beneficialia*, nempe redditus beneficiorum, quae Clericis in titulum concessa sunt; eaque subdividuntur in *necessaria* et *superflua*; necessaria quidem sunt, quae inserviunt honorabili Clericorum sustentationi, et sustentatio Clericorum honesta illa dicitur, quae spectatis omnibus prudenter attendendis, personae, dignitatis, qualitatis, gradus doctrinae, temporis, regionis et consuetudinis, non excedit neque deficit in iis, quae pro re domestica, et famulatu expendere solent ejusdem conditionis homines prudentes et timoratae conscientiae. — Quae autem, iis demptis, supersunt ex redditibus beneficialibus, dicuntur *superflua*.

2.° Quae animadversis in hoc titulo duae sunt quaestiones proponendae, nempe, an istorum peculiorum Clerici habeant plenum dominium, vel non? — Et deinde, an eorundem habeant expeditum et liberum usum, ita ut de iis tam inter vivos, quam mortis causa valeant libere disponere, vel secus? — Et quod respicit primam quaestionem ex claris juris textibus probatur Clericos habere plenum dominium bonorum tam patrimonialium, quam industrialium ac parsimonialium, nempe ex *cap. 1° h. t.* et *cap. 1° et 5° de testament.* Et jure quidem: nam Clerici sunt capaces acquirendi proprietatem ut reliqui cives et christiani; ex altera vero parte ista bona eis advenerunt aut ratione familiae, aut

ex licita industria; proinde ea licite lucrantur; et omnes conveniunt Doctores. Solum proinde esse quaestio potest de redditibus beneficialibus. Sed relate ad istos, pariter non potest in dubium revocari, nec revocatur, quod Clerici acquirant proprietatem eorum fructuum, qui sunt suae sustentationi necessarii, etiamsi ceteroquin Clerico superessent fructus ex aliis suis peculiis, cum evangelica sit sententia « *dignus est operarius mercede sua,* » et Paulus clamet « *nemo militat propriis stipendiis.* » Ergo solum de superfluis quaeri potest, an eorum acquirant Beneficiati proprietatem. Verum, quidquid sit de nonnullis veterum canonum expressionibus, quarum tamen sensum inferius exponemus; et quidquid sit de alia quaestione, nempe quomodo isti fructus superflui sint expendendi a Clericis (non semper enim proprietarius habet liberam dispositionem rerum suarum, ut est pupillus, aliique), adsunt juridica argumenta, quibus ostendatur superfluum quoque fructuum beneficialium Clericos proprietatem adipisci, quamvis non desint Doctores, qui id negent. Revera jus ecclesiasticum nullam facit distinctionem inter fructus necessarios ad sustentationem, et superfluos; sed fatentibus Doctoribus sententiae nobis adversae, Clerici illorum fructuum nanciscuntur proprietatem: ergo et superfluum. His adde modum loquendi canonum post beneficiorum constitutionem satis nostrae sententiae convenire: Concilium Tridentinum siquidem *sess. 23 cap. 1°, et*

sess. 24 cap. 12 Clericos non residentes decernit *fructus non facere suos*; ergo in vim contrariorum, qui Clerici explent adnexas beneficio obligationes, hos fructus lucrantur et faciunt suos, nempe eorum proprietatem acquirunt. Et Julius III in Constitut. « *Cum sicut* » *dici 4 Julii 1550* loquens de fructibus beneficialibus ait: « pecunias postquam ad manus Beneficiatorum pervenerint, non ulterius in ecclesiasticis, sed in eorum bonis propriis iudicari et quemadmodum pro saecularibus et prophanis haberi. » Quod antiquitus non erat, cum reddituum ecclesiasticorum unus erat cumulus ante divisionem, et una administratio; et tunc Clericis dabatur quod erat ad sustentationem necessarium, proinde non habebatur ratio superfluum; et sic explicatur sensus *cap. 4 h. t.*

3.° Sed habent ne liberum usum Clerici expendendi superflua, et quo jure usus hic limitatur? Loquimur tantum de superfluis beneficiorum; nam aliorum peculiorum sicut Clerici habent plenam proprietatem, ita et omnino habent expeditum usum, administrationem et dispositionem. Parificantur in his Clerici cuique laico, ac proinde in quoslibet usus etiam prophanos valent expendere, dummodo honestos. Res autem perfectionis et consilii non vero christiani praecepti est, ut in opera misericordiae et pietatis ea bona Clerici insumant. Sed non ita est de superfluis beneficiorum, quae debent expendi in causas pias, nempe in solamen pauperum, ac in alia opera charitatis christianae,

2. 17. Canon. h. tit. I. 3. 11.

Dei referunt ad tempus quo cum erat Constitut.

10. 9.º dicitur ea Beneficia quae obtinent de usu canonico leguntur

et decorem domus Dei. Hoc apertissime jubetur a Concilio Tridentino *sess. 25 cap. 1º de reform.* prout omnes Doctores retinent. Ad quod praeceptum, jam ab antiquis canonibus expositum, pressius formulandum Tridentini Patres ex sequentibus causis moti sunt, nempe quod talis Clericorum obligatio sit piorum fundatorum desiderio accommodatior, aptior ad augendum divinum cultum, utilior ad retinendos in disciplina et honestate Clericos, et convenientior ad aedificationem fidelium. Haec autem obligatio an sit ex justitia, ex charitate, vel ex Religione disputant Doctores, vel potius ex praecepto ecclesiastico, quae ultima opinio magis fundata esse apparet. Quae superfluum expensio in causas pias fieri debet tempore vitae Beneficiati, cum sit a jure interdictum testamentum de iis facere non modo ad causas prophanas absque privilegio, sed nec ad causas pias, prout in titulo sequenti comprobabimus. — Ultimo advertendum est ad intellectum aliquorum capitum in titulo contentorum tradi regulas, ex quibus cognoscatur an emptiones rerum factae sint a Praelato ex redditibus aliis propriis, an potius ex superfluis beneficiorum, ut dignosci valeat an de iis prediis emptis disponere Praelatus possit, seu potius Ecclesiae relinquenda sint: de qua pariter re fusius in sequenti titulo agemus.

Dei referunt ad tempus quo cum erat Constitut.
10. 9.º dicitur ea Beneficia quae obtinent de usu canonico leguntur
Dei referunt ad tempus quo cum erat Constitut.
10. 9.º dicitur ea Beneficia quae obtinent de usu canonico leguntur
Dei referunt ad tempus quo cum erat Constitut.
10. 9.º dicitur ea Beneficia quae obtinent de usu canonico leguntur

TITULUS XXVI.

De Testamentis et ultimis voluntatibus.

1.° Species ultimarum voluntatum sunt plures prout quis de universa haereditate disponit, vel de ejus parte, ut testamentum, codicillus, legatum, donatio mortis causa etc.: sed inter eas eminent testamentum, quod secundum Jurisconsultum in *leg. 1^a Digest. qui testament. facer. poss.* definitur « *voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* » — Praecipuae autem testamentorum divisiones erant, ut aliud esset *solemne*, nempe in quo omnes fuissent adhibitae juris solemnitates, et aliud *minus-solemne*, quod propter privilegium valebat etsi in eo non fuissent adhibitae omnes juris solemnitates. Iterum, quod specialius attinet ad jus canonicum, testamentum aliud est ad causas pias, aliud ad causas

prophanas. Et testamentum ad causas pias illud dicitur, in quo haeres est causa pia instituta, quamvis in eo sint, vel esse queant plura et pingua legata ad causas prophanas; nomen enim assumit a qualitate haeredis. Testamentum ad causas prophanas illud est, in quo causa prophana haeres constituitur, quamvis in eo sint, vel esse queant legata, et quidem pingua, ad causas pias. Aliae divisiones non videntur attingere jus canonicum, sed potius respiciunt tractatus civiles.

2.° Ecclesia libenter recognovit in potestatibus civilibus facultatem ordinandi testamenta, eaque solemnitatibus communiendi; et jure quidem istae adhibebantur solemnitates ad cavendas scilicet fraudes, prout asseritur in *leg. fin. cod. de fidecommis.* « Lex enim ne quid falsitatis per duos forte testes incurrat compositum testamentum, majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur. » Et hinc determinatur sensus *cap. 10 h. t.*°, quo illa superstitiosa coercita est veneratio romani juris, ut crederetur nulla alia forma esse rationabilis, nisi ea, quam ipsum romanum jus invexerat, et quae dispositio *cap. 10 h. t.*° non habuit applicationem nisi in provinciis subjectis dominationi temporali Romanae Sedis, quando in iis non fuisset edictum, quod juris civilis dispositiones attenderentur, quemadmodum decrevit Benedictus XIII in Synodo Romana anni 1725 *cap. 1^o tit. de Testament.*, et exponit Benedictus XIV in

Institut. Eccles. 105. Retentum proinde est testamenta, in quibus non fuissent illae solemnitates servatae in foro externo non subsisterent, quamvis in casu particulari essent a quacumque fraude immunia, quia lex procedit per praesumptionem generalem, et habet suam applicationem etiam in casu, in quo praesumptio haec non verificatur. Duo solummodo casus excipiebantur, nempe primo si ipse haeres ab intestato fateretur se scire voluntatem defuncti alium pro haerede in tali testamento instituentis ex *leg. fin. cod. de fideicommis.*, et secundo si haeres institutus afferret rationem gravem, quod haeres ab intestato sciret voluntatem testatoris defuncti, et haeres institutus prius juraret de calumnia, et deinde haeredi ab intestato deferret juramentum; tunc si haeres ab intestato jurare recusaret, haereditas devolvebatur ad haerem institutum ex § *fin. Institut. de fideicom. haeredit.* In recentibus autem Codicibus juris civilis apud diversas regiones vigentibus non apparent istae exceptiones. — Magnis autem animis Theologi et Canonistae quaestionem pertractant an testamentum solemnitatibus deficiens etiam in foro interno sit invalidum, vel sustineatur, quando constare potest de vera et perfecta voluntate testatoris quoad institutionem haeredis; et unaquaeque opinio pondus suum habet tum extrinsecae auctoritatis ex numero Doctorum, tum intrinsecae probabilitatis ex vi rationum ab ipsis allatarum. Qua adhuc irresoluta quaestione, hoc reflexum princi-

pium in praxi aptatur, nempe posse haerem institutum petere immissionem in possessionem haereditatis, eamque retinere usque dum ab alio non depellatur in vim sententiae a iudice latae, quae executioni mandetur: haerem vero ab intestato posse coram iudice instare et petere contra tabulas consecutionem haereditatis, et obtenta sententia, ejus executionem petere et consequi possessionem haereditatis. Sententia vero iudicis, quae justa est, quia secundum leges iudex debet pronuntiare, terminat quaestionem.

3.º Quae diximus respiciunt testamenta ad causas profanas, verum circa testamenta ad causas pias antiquissimum hoc erat privilegium in utroque foro vigens, quod in *cap. XI h. t.*º aliisque pluribus juris textibus insinuat. Privilegium respicit quascumque causas pias, et locum habet in testamentis ac in legatis, duabus hisce conclusionibus expressum: — 1º Testamenta ad causas pias valent, dummodo in iis ordinandis ea fuerint servata, quae in talibus actibus de jure naturae praecipiantur, nempe ut testator sit capax rationis, et habeat plenam et perfectam potestatem ac voluntatem testandi, et ut haec voluntas sufficienter appareat vel ex scriptura, vel saltem ex duobus testibus de jure naturae ad testandum idoneis, vel aliunde. His autem testamentis ex privilegio servatis nil mirum est, si legata quoque in iis testamentis relicta, quamvis sint ad causas profanas, serventur, cum secundum *regulam 24 juris in VI*º

accessorium sequatur principale, et proinde indirecte eis extendatur ratio privilegii. — 2° Legata ad causas pias pariter sunt privilegiata etsi relicta in testamentis ad causas profanas confectis, dummodo constet in iis relinquendis servata esse ea omnia, quae a jure naturae praescribuntur, ut supra; est enim hoc privilegium causarum; proinde etsi infirmantur testamenta propter defectum solemnitatum, manent tamen legata. Dicimus vero infirmari testamenta, servatis legatis, cum non possit applicari in casu jam exposita regula juris; unde non potest haberi haec indirecta participatio privilegii. Relicta autem ad causas pias dicuntur, quae dantur propter cultum Dei, animarum salutem, vel quoque ad utilitatem publicam et pro operibus christianae charitatis exercendis, ut sunt legata relicta Ecclesiis, aliisque piis locis, pro eleemosinis pauperum, pro redemptione captivorum, pro conversione infidelium, sive haereticorum, educatione orphanorum, pro hospitalibus domibus etc. — Ecclesia semper institit in hoc sibi asserendo privilegio: et jure quidem, cum hoc attingeret salutem animarum; hinc retinuit semper relictum pium deberi in conscientia, quod servatis juris naturae conditionibus constitutum erat per ultimas voluntates, aut testamenta, quamvis in foro externo servari nequirit ex praevalentia civilis juris. Ex hoc pro casibus occultis, qui nequeunt ad forum externum deduci, fit recursus ad S. Poenitentiarum ad impetranda rescripta pro minora-

tionem impositae obligationis ex causa, aut pro ejus facili adimplemento, vel in casibus publicis ad S. Congregationem Concilii, ad eundem finem. Et quidem retroactis temporibus in hoc stetit civilium Guberniorum praevalentia, ut hoc privilegium causis piis adimerent. Nostro autem aevo longius praetergressa sunt, cum nonnullis causis piis id quoque denegaverint, ut aliquid ex testamentis capere valerent contra principium ab ipsis adsertum plenissimae libertatis religiosae. Exempli loco sint duo articuli vigentis Codicis Civilis Regni italici, *art. 831: « Le disposizioni per l'anima o a favore dell'anima espresse genericamente sono nulle; »* et *art. 833: « sono nulle le disposizioni ordinate al fine di istituire o dotare benefizi semplici, cappellanie laicali, od altre simili fondazioni. »*

4.° Facultate faciendi testamentum jure canonico aliqui privantur propter crimen, ut sunt usurarii manifesti, si restituendo usuras non satisfecerint, aut saltem non caverint idonee ex *cap. 2° de usuris in VI°*; haeretici ut ex *cap. 13° de haetic.*; percussores, aut persecutores S. R. E. Cardinalium ex *cap. 5° de poenis in VI°*, et cooperatores. Sed istae poenae hodie obsoleverunt ex illo dissociato foedere, quod erat inter ecclesiasticam et civilem societatem, et ex eo quod societates civiles mixtae esse ceperunt. — Aliquibus autem non in poenam id interdicitur, sed vel habita ratione aliquorum bonorum, aut propter eorum statum, ut sunt Clerici et Religiosi. Clerici de suo peculio patrimo-

niali, industriali et parsimoniali sicut possunt disponere actibus quibuscumque inter vivos, sic pariter et donationibus mortis causa, legatis et testamentis. Non sic vero dicendum est de bonis superfluis suorum beneficiorum; ea enim viventes ex praecepto ecclesiastico expendere tenentur in opera pia, sed mortis causa de ipsis nequeunt ullo modo disponere ne ad causam piam quidem ex clara dispositione *cap. 9 h. t.*, cui concordant *cap. 1, 7, 8, et 12 h. t.* Omnia haec superflua beneficiorum relicta a Clerico dicebantur ejus spolia, et antiquitus pertinebant ad Ecclesiam, in qua Clericus beneficium habuerat ex *cap. 7° h. t.*, ita ut si duae essent Ecclesiae, in quibus habuisset beneficia, divisio spoliorum inter has fieret juxta congruam aestimationem ex *cap. 12 h. t.* Haec erat ratio, propter quam erat expendendum an Clericus fundum aliquem emisset ex suo patrimoniali peculio, vel potius ex superfluis beneficiorum, prout innuimus in *tit.° de peculio Clericorum*; quia si constitisset fundum emptum esse ex pecunia peculii patrimonialis, tunc valuisset testamentaria Clerici dispositio de illo; at si ex superfluis beneficiorum emptus fuisset, tunc quaecumque testamentaria dispositio erat invalida, et fundus cedebat Ecclesiae, in qua Clericus possedisset beneficium. Lex haec inculcata ab Alexandro III in Concilio Lateranensi III, ut ex *cap. 7° h. t.* in observantia fuit secundum Van-Espen *part. 2^a tit.° 32 num. 14 et seqq.* usque ad medietatem saeculi decimi tertii;

post quod tempus ex consuetudine inolescente in aliquibus regnis, Episcopi, et ceteri quicumque Beneficiati inter vivos, vel causa mortis libere de bonis etiam superfluis beneficiorum, aut intuitu Ecclesiae acquisitis testamentum conficiebant; quia imo iis absque testamento decedentibus, in talibus bonis succedebant eorum haeredes necessarii, quam consuetudinem utpote derogatoriam juri dumtaxat positivo ecclesiastico esse validam probat Fagnanus in *cap. 5° de pecul. Cleric. num.° 1.* Instaurata autem Ecclesiae disciplina hac super re per Concilium Tridentinum *sess. 25^a cap. 1° de reform.*; editae sunt plures Constitutiones Romanorum Pontificum, quarum aliquae praecesserunt, aliae subsequutae sunt promulgationem praefati conciliaris decreti, et praecipuae sunt Constitutio Pauli III, quae incipit « *Romani Pontificis* » *diei 23 Martii 1542*, Julii III, quae incipit « *Cum sicut* » *26 Junii 1550*, Pii IV « *Sedis Apostolicae* » *3 Aprilis 1564*, aliaeque plures ejusdem, Pii V « *Romani Pontificis* » *30 Augusti 1567*, et Benedicti XIV « *Apostolicae servitutis* » *25 Februarii 1741*; quibus statutum est ut praedicta superflua beneficiorum, de quibus testamentum fieri a Clericis nequibat, cederent, seu applicarentur jure spoli Camerae Apostolicae, ut scilicet in utilitatem Ecclesiae generalis ea cederent, quae prius applicata fuerant in bonum Ecclesiarum quarumcumque particularium; et jam ab aliquo tempore, prout hodie haec Congregatio Spoliorum adnexa est S. Con-

gregationi de Propaganda Fide, ut redditus omnes impendantur in sanctum Missionum opus christiano nomini propagando. Ad quam Spoliorum Congregationem non modo spectant quae nominavimus spolia Clericorum et Praelatorum de superfluis beneficiorum, sed etiam quae Clerici congregaverunt ex illicita negotiatione, ut suo loco videbimus; nec non redditus vacantium beneficiorum, detractis expensis pro obeundis eorum oneribus spiritualibus. Relate ad has Pontificias Constitutiones, et jura Congregationis Spoliorum sunt nonnulla notanda: — (a) huic legi generali fuisse factas plures exceptiones quoad diversas nationes catholicas particularibus litteris a Summis Pontificibus latis, et praesertim in textu Pactorum Concordatorum, quae cum iis inita sunt, ut in istis vel fuerit recognita consuetudo testandi de illis superfluis jam exposita, vel aliter statutum sit praesertim de fructibus beneficiorum et Mensarum episcopalium tempore vacationis: quae leges peculiare sunt attendendae. — (b) In dictis Constitutionibus, ut declaravit Pius V in Bulla « *Romani Pontificis* » jam citata, exempta esse a Spolio suppellectilia domestica etiam acquisita ex fructibus beneficii, sicut et ornamenta, et paramenta Ecclesiae, vasa, et quaecumque alia ad cultum divinum etiam pro privatis Capellis et domibus, quae cedere debent Ecclesiae beneficii, et si Beneficiatus plura obtinuerit beneficia, dividenda esse inter eorundem beneficiorum Ecclesias; quae pariter nec

comprehendi sub quavis facultate testandi. Si autem paramenta, et vasa sacra, aliaque argentea et suppellectilia ad usum Capellae et cultum divinum destinata, acquisita fuerint a Praelato ex priori Ecclesia, deberi post illius obitum huic, non Ecclesiae, ad quam fuit translatus, prout censuit S. Congregatio Concilii in *Trivicana 6 Julii 1726*. Ornamenta tamen Capellae, Calices, Cruces, jo-calia et similia curialium Episcoporum, Cardinalium, et aliorum Beneficiatorum Romae decedentium pertinere ad Capellam Papae ex tribus Julii III Constit. « *Cum sicut* » 26 *Januarii*, et « *Dudum* » 4 *Augusti 1550*, ac « *Cum autem* » 18 *Junii 1551*. — (c) Esse autem plures, qui ex privilegio in dictis, vel aliis Constitutionibus notato valent de iis superfluis disponere; videlicet Cardinales ubicumque existant et decedant, Curiales et Praelatos habentes potestatem testandi ex Constitutione « *Decens* » Pii IV, Conclavistas ex Constit. Gregorii XV « *Romanus*, » Clericos ecclesiasticos redditus possidentes sive romanos sive curiales, sive incolas decedentes Romae, et in ejus districtu intra spatium decem miliariorum ex Constit. Pauli V « *In eminenti*. » Eos demum qui convenerunt cum Spoliorum collectoribus certam summam quotannis solvere ex more incepto tempore Sixti V; quos omnes a Spolio exemptos gaudere privilegio de iisdem bonis testandi non solum ad causas pias, sed etiam ad causas profanas, et si intestati decesserint, eorum haeredes in iis bonis succedere. —

Haec ex dictis Constitutionibus circa suppellectilia, et ornamenta sacra notata sunt, eorumque divisionem; at hac in re hodie attendendae sunt Litterae Apostolicae Pii IX in forma *Brevis die 1^a Junii 1847*, quae incipiunt « *Cum illud* » relatae a Cardinali Bizzarri in pluries citata opera « *Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR. pag. 127 et seqq.*; » in quibus, et de casu quo haec ornamenta spectant ad Pontificium Sacrarium, et de casu divisionis inter Ecclesias sermo est, nec non quae sint sacra utensilia juxta Constitutionem Pii V « *Romani Pontificis*, » et aliam Urbani VIII « *Aequum est* » determinatur.

5.^o Religiosi demum professi nequeunt testamentum condere ex *cap. 2^o h. t.*, cujus quidem juris sunt incapaces tum propter votum obedientiae, tum propter votum paupertatis; nec enim habent propriam voluntatem, neque habent de quo testentur. Haec autem locum habent pro quibuscumque Professis etiamsi ad Episcopatum eveci sint, si non habeant indultum speciale testandi ex *can. Statutum caus. 18^{ae} quaest. 1^a in decreto*, quia per consecrationem Regularis non est absolutus a voto paupertatis, sed adhuc est in statu impossibili cum acquisitione domini. Ad tramites hujus decretalis et decreti, S. Congregatio Concilii sibi quaerenti Archiepiscopo Goano in Indiis orientibus an spolia Episcopi regularis morientis ab intestato pertineant ad Cameram Apostolicam, an ad successorem beneficii? — respondit, teste Fagnano

ad cap. 7 num. 80 de Constitut., bona post consecrationem acquisita ad propriam Ecclesiam pertinere per *can. Statutum*. Imo pro omnibus Regularibus professis etsi extra Monasterium, vel Conventum quocumque extraordinario eventu viventibus quoad successionem bonorum sub *die 26 Junii anni 1829* Leo XII probavit responsa data a Congregatione Cardinalium ab ipso deputata ad sequentia quatuor dubia: — *Primum*. « Cui competat jus succedendi haereditati Regularis professi decedentis extra claustra, qui Apostolicum indultum obtinuit manendi extra claustra ad tempus, retento habitu, vel veste sui ordinis dimissa. » — *Secundum*. « Cui competat jus succedendi haereditati Regularis professi, qui in fausto anteacto tempore ejectus publica vi a coenobio, et veste sui Ordinis expoliatus; rationabiles causae ei obstiterunt, ne successivo tranquillitatis tempore ad suum rediret coenobium, suique Ordinis vestem reassumeret. » — *Tertium*. « Cui competat jus succedendi haereditati Regularis professi, qui Apostolicum indultum obtinuit acquirendi haereditates, et legata, et de iisdem acquisitis disponendi, et signanter si dispositio fuerit ad causas pias, et favore Religionis. » — *Quartum*. « An sit supplicandum SS^{mo}, ut privativam jurisdictionem cognoscendi, et definiendi quaestiones super praemissis ortas, et quas oriri contingerit inter Superiores Regularium Ordinum, et R. C. Spoliorum Administra-

» tores circa interpretationem, et explicationem
 » Const. Gregorii XIII *diei 21 Januarii 1577*,
 » quae incipit « *Officii Nostri*, » alicui ex Sacris
 » Congregationibus tribuere dignetur. » — *Relate ad Primum responsum*: « De hujusmodi haeredi-
 » tate judicandum esse juxta dispositiones juris
 » ecclesiastici communis, scilicet eam spectare ad
 » propriam defuncti Religionem. » — *Relate ad Secundum*: « Si Religiosus, de quo est sermo, per-
 » petuae saecularizationis absoluto non fruebatur
 » indulto, ut in praecedenti. — Si vero fruebatur,
 » distinguendum esse inter bona ab eo relicta,
 » scilicet bona, quae Religionis erant, secumque e
 » claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque
 » obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae ha-
 » beat, ex illis provenientia, eidem Religioni ma-
 » nere. Quoad autem caetera bona a tali Religioso
 » extra claustra aliter quam ex bonis ad Reli-
 » gionem pertinentibus acquisita, judicandum de
 » iis esse juxta Constitutionem Gregorii XIII « *Of-
 » ficii Nostri* » etc..... » — *Relate ad Tertium*:
 » « Si dictus Religiosus Apostolico indulto dispo-
 » nendi de bonis, ut in casu, *legitime usus est*,
 » facta nimirum dispositione undique legitime eo-
 » rundem bonorum, jus, de quo agitur, illi com-
 » petere, cujus favore facta est dispositio. » —
 » *Relate ad Quartum Affirmative*. « Mandans ut
 » quaestiones prout in quarto dubio cognoscantur
 » et definiantur a S. Congregatione Episcoporum,
 » et Regularium, non obstantibus Constitutionibus

» Apostolicis de Spoliis, et signanter Gregorii XIII
 » *diei 21 Januarii 1577*, « *Officii Nostri*, » in-
 » veterata consuetudine, ordinationibus, aliisque
 » in contrarium quibuscumque. » — Quae demon-
 » strant testamentum ab iis fieri non posse nisi
 » habeatur venia Apostolicae Sedis. — Quaesitum est
 » an hoc interdictum vigeret non modo quoad con-
 » fectionem novi testamenti, sed et quoad muta-
 » tionem testamenti jam tempore eo confecti, quo
 » professus poterat de bonis suis disponere, nempe
 » vel tempore novitiatus, vel antea? Et Secretarius
 » in *Toletanae Folio 7 Maii 1718* demonstrat id
 » absque Apostolicae Sedis venia fieri non posse,
 » cum mutatio testamenti importet novam disposi-
 » tionem, seu novum testamentum. Quin imo S.
 » Congregatio Concilii quando ex causis gravibus id
 » concedit, solet quoque id praemittere, ut illi, quo-
 » rum jura laeduntur per novam dispositionem,
 » nempe qui haeredes, aut legatarii relictii erant in
 » primo testamento, emittant praevidiam renuntiatio-
 » nem suis juribus. Unde est quod in dicta causa
 » Toletana ad dubium « An Oratricis precibus sit
 » annuendum in casu? » S. Congregatio respondit
 » « *Affirmative, praevidiam renuntiatione faciendam per
 » Patrem Praepositum Generalem.* » — Secus vero di-
 » cendum est, si sermo sit de interpretatione verbi
 » dubii, aut dubiae dispositionis in testamento alias
 » facto tempore habili; namque id fieri posse a Re-
 » ligioso professo indubitati juris est, cum illa ex-
 » plicatio non importet novam dispositionem. — Quae

autem diximus, non applicantur Novitiis, qui et ante inceptum tyrocinium, et in ipso novitiatus tempore possunt facere testamentum; et in eo non tenentur ullas ultiores formalitates adhibere, quam quisque privatus. Neque opponatur id quod a Concilio Tridentino statuitur in *cap. 16 sess. 25 de Regular.*; namque illa statuuntur de dispositionibus inter vivos de se illico validis, non autem de testamentis, quae sunt de sui natura revocabilia, prout in *titulo XXXI hujus libri* fusius dicitur. Porro si Novitius instituat alium haereditatem, quam Monasterium, in quo novitium agit, haeres non statim acquirit haereditatem post testamentum confectum, nam saltem est necessarium quod sequatur professio. Si enim ante professionem moriatur haeres institutus, tunc testamentum viribus caret, et per professionem Novitii omnia bona transferuntur ad Monasterium, si Religio est possessionis capax, idque ab intestato. — Quae de interdicta facultate testandi Professis exposuimus, ea aptantur omnibus, qui solemnem professionem emittunt, non vero iis, qui vota simplicia nuncupant, utpote qui retinent dominium radicale rerum, ut melius dicitur *titulo XXXI hujus libri*.

6.º Sequitur nunc quaestio de haeredum institutione, et substitutione. Revera institui potest in testamento haeres non solum privatus, sed etiam Communitas et Collegium; quin imo et ii quoque, qui solemne in Religionibus votum paupertatis ediderunt; et ratio est, quia votum paupertatis non

tollit potestatem acquirendi, sed tantum *quidquam ut proprium possidendi*; hinc ille aphorismus juris est: « *quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit*; » proinde si haeredes fuerint isti Professi instituti, ad Monasterium ista proprietas et possessio recta transit. Unus casus est, in quo nec Monasterium seu Conventus, nec Professus in eo nequeunt haeredes institui, quando Conventus est incapax possidendi res, de quo casu loquitur Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 3º de regular.*, tunc enim nec Conventus potest institui, nec professus pariter, cum neque ipse neque suum Monasterium capax sit. Unde est, quod si cum tali incapace alius capax haeres sit institutus, pars huic capaci accedat; nec censendum est istis incapacibus posse concedi ad modum eleemosinae; sicut non potest fingi hanc haereditatem resolvere quoad partem incapacis in fideicommissum, ut capax eam partem incapaci restituat; quia et tales personae sunt recipiendi fideicommissi incapaces. Quemadmodum si huic incapaci alius substitutus sit haeres, statim ad substitutum transit haereditas, quoniam primus institutus est incapax, et acceptare prohibetur. — Quod diximus de haeredis institutione, id quoque de legatis retinendum est, quorum legatorum recipiendorum tales personae incapaces pariter sunt, quibus interdicta est immobilium possessio. Hinc S. Congregatio Concilii in Firmana *diei 2 Octobris 1721* ad dubium « an Religiosis S. Francisci Minorum Observantium Murri

Vallium liceat retinere legatum relictum a quodam Ludovico Moretti in casu? Respondit: Negative, et Syndicum teneri censum dimittere, sed Patres posse recipere fructus ab haeredibus per modum eleemosinae. » Sicut in *Brundusina diei 26 Augusti 1719* Patres strictioris observantiae S. Francisci incapaces esse legati, quod relictum erat cum onere adjecto celebrandarum Missarum; haeredes vero posse census creare, et assignare cum auctoritate Episcopi pro onere Missarum, ita ut novus censuarius se obliget solvere Patribus eleemosinam ad formam testamenti censuit S. Congregatio. Et in *Aprutina 28 Februarii 1677*, ac in *Iserniensi diei 10 Junii 1684* Fratres Minores capaces esse legati eo modo relictum, ut ex ejus fructibus haeredes tenerentur ad iis solvendam eleemosinam manualementem tamquam sponte offerentes, respondit S. Congregatio. Hoc est quod edicitur in *Clementin. unic. § Quia igitur De verbor. signific.*, nempe ut ea sint modica, et praestentur ad morem eleemosinae. At vero contra has juris canonici dispositiones processit legislatio Regni Italici non solum in articulis supra relatis, sed in lege abolitionis Societatum Religiosarum, de qua fusiohem sermonem habebimus in *titulo XXXI hujus libri*. In ea siquidem cautum est, illas Societates utpote extinctas nequire aliquid capere ex testamentis; individua autem ad eas Societates pertinentia per eam, quam vocant, jurium civilium reintegrationem posse quodcumque emolumentum velut quemque

privatum, ex ultimis voluntatibus, et in successio- nibus ab intestato, et omnia esse in commodum individuorum. Ad quam respiciens anormalem il- lorum conditionem S. Poenitentiaria sub *die 18 Aprilis 1868* inter alias eis sequentem facultatem impertita est: « Facultatem concedit locorum Or- » dinariis quoad Moniales, et Superioribus Gene- » ralibus quoad Viros Regulares, indulgendi sive » per se, sive per idoneas personas ab eis subde- » legandas respectivis subditis in Italia suppressis, » ut, attentis peculiaribus circumstantiis, iisque » perdurantibus, non obstante solemni paupertatis » voto, bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam » haereditates, salvo tamen jure tertii quaesito, » recipere, adire, ac retinere, deque iis nedum » contractus inire, sed etiam in pios, honestosque » usus, ac praesertim in favorem sui Ordinis, aut » Instituti, nec non in grati animi significationem » per actus sive inter vivos, sive causa mortis » disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii, » aut Superioris, vel alterius per eum deputati, » aut saltem, in casu necessitatis, Confessarii con- » silio, et approbatione; ita tamen, ut rerum sua- » rum administrationem ac redditus, quamdiu vi- » xerint in communitate, quae temporalia bona » possidere possit, eidem communitati tradere et » quidquid ex bonis propriae Religionis eidem » provenerit, ipsi Religioni, adhibitis cautelis, re- » linquere teneantur. Quod si communitas sit ex » iis, quibus possessio bonorum temporalium per-

» missa non sit, administrationem hoc in casu
 » committant alicui tertiae personae ita, ut absque
 » licentia Ordinarii, aut Superiorum Regularium
 » nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque
 » modo disponere possint. » — Quibus facultatibus
 etiam id datum est, ut paternae et maternae hae-
 reditatis partem petere possent, si parentes absque
 testamento morerentur, et quamvis renuntiationem
 favore tertii jamdiu edidissent, salvo casu, quo ante
 habitam facultatem jam haereditas delata alteri
 esset, prout ostenditur ex sequenti decisione S.
 Congregationis Concilii in *Neapolitana diei 7 De-*
cembris 1639 relata in *Firmana diei 17 Julii 1723*.
 « Queritur, an N. Regularis professus incapax
 » bonorum, ad Episcopatum assumptus recuperet
 » jus succedendi quoad hereditates post assumptum
 » Episcopatum sibi delatas? Secundo, an eidem
 » obstet cessio et renunciatio ejusmodi haereditatum
 » facta ad favorem fratris ad praescriptum S. Conc.
 » Trid. c. 16 sess. XXV de reg.? S. C. resp.
 » recuperare jus succedendi ad haereditates post
 » adeptum Episcopatum ad utilitatem suae Ecclesiae
 » sibi delatas quoad proprietatem, et ad proprium
 » commodum quoad usumfructum. — II. Eidem
 » non obstare supradictam cessionem, et renuncia-
 » tionem quoad haereditates, quae non sint alteri
 » ante adeptum Episcopatum acquisitae. »

7.° Super hisce legatis ad loca pia et Eccle-
 sias relectis erat portio canonica Episcopo solvenda
 sic dicta *quarta portio*, prout constat ex *cap. 14°*

et 15° h. t.°, quae tamen non solvebatur in rebus,
 de quibus loquitur *caput ultimum h. t.°* Id con-
 stitutum erat, ut mensae episcopales juste dita-
 rentur; sed progressu temporis id in desuetudinem
 abiit, et hodie haec pensio non solvitur, aut si
 aliquid datur, quoad quantitatem est attendenda
 consuetudo; a qua tamen pendenda libera semper
 sunt Monasteria, et alia loca pia exempta; quia
 non debent solvere cathedraticum, propter quod
 inducta est haec elargitio. — Legatum rei alienae
 aliquando sustineri secundum juris communis di-
 spositiones certum est ex § 4° *Institut. de Legat.*
et leg. 10 cod. eod., quando nempe scivit testator
 esse alienam, nam si putavit esse propriam, le-
 gatum non tenet; et legatarii est probare, quod
 testator esse alienam sciverit. Tunc vero haeres
 tenebatur rem alienam a suo domino emere et
 legatario tradere; sin minus, legatario tradere ejus
 aestimationem. Quod a jure canonico fuisse quoque
 admissum plures Doctores probant non obstante
 dispositione *cap. 5 h. t.°*, in qua specie reprehenditur
 audacia alicujus, qui rem alterius volebat
 retinere, nec domino restituere sub praetextu legis
 civilis, quae admittebat legatum in re aliena, quasi
 ex hoc erueretur, quod posset quis expoliari pos-
 sessione suae rei: et in eo capite per leges sae-
 culi non intelliguntur jura civilia, sed praxis
 perversi saeculi, vel abusus juris civilis male intel-
 lecti. Magis expedita esse videtur legislatio mo-
 dernis temporibus hac in re inducta, quam ado-

ptavit quoque dictus Codex Civilis Regni italicæ
art. 837: « Il legato di cosa altrui è nullo, salvo
 » che sia espresso nel testamento, che il testatore
 » sapeva essere cosa altrui; nel qual caso è in
 » facoltà dell'erede o di acquistare la cosa legata
 » per rimetterla al legatario, o di pagarne a questo
 » il giusto prezzo. Se però la cosa legata, quan-
 » tunque di altri al tempo del testamento si trova
 » in proprietà del testatore al tempo di sua morte,
 » è valido il legato della medesima. »

De Executoribus testamentariis 8.º Executio testamenti ordinario spectat ad
 haereditatem, si testator non posuit executores. Exe-
 cutores vero testamentarii esse possunt plures, et
 uno demortuo, alii exequuntur ex *cap. 2º § Sane,*
in VI h. t.º cum exceptionibus ibi positis. Possunt
 autem esse executores etiam Religiosi, exceptis
 Fratribus Minoribus ex *Clement. 1º de verbor.*
signif. Qui executor si acceptaverit, potest cogi
 ad exequendum ex *cap. 19 h. t.º*, et si intra
 tempus determinatum non fuerit executus, Epi-
 scopus monebit, ac deinde ipse exequetur. Omnium
 autem piarum voluntatum executor vel immediatus,
 si ipse fuerit nominatus a testatore, vel media-
 tus, a jure positus, si executores suum munus
 non adimplent, est Episcopus ex dicto *cap. 3º h. t.º*
 Executores porro non possunt recedere a mandato
 testatoris, sed exequi debent suam voluntatem. —
 Quod pertinet ad jus commutandi ultimas volun-
 tates advertendum est quod advertit Secretarius in
 causa *Arianen. diei 7 Febr. 1733* nempe: Com-

mutare ultimas voluntates Episcopis non licere,
 sed soli Romano Pontifici esse reservatum, dedu-
 citur ex *Clement. Quia contingit de relig. domib.*
 ubi Glossa in verba « *Sedis Apostolicæ* » sic ait:
 « *nota per hanc litteram solum Papam posse al-*
terare usum eorum, quæ per fideles donata sunt,
vel relicta: » quam Glossam communiter sequuntur
 Canonistæ. Idque etiam non obscure supponit Con-
 cilium Tridentinum *sess. 22 cap. 6º de reform.*
 Quæ rescripta commutationis, antequam executioni
 mandentur, Episcopi tamquam Apostolicæ Sedis
 delegati summarie et extrajudicialiter de allegatis
 causis videbunt. — Huic juri Episcoporum præjudi-
 catum est a Legislatione Regni italicæ in *art.º 832.*

TITULUS XXVII.

De successione ab intestato.

1.° Successio ab intestato dicitur illa, quae ex dispositione juris competit pro casu, quo defunctus non reliquit ullam validam dispositionem, aut ea, quam reliquit, fuit rupta, vel invalida facta. In hac materia utpote temporali maxime attenditur jus civile, eique Ecclesia libenter detulit, adeo ut in computatione graduum cognationis calculum a lege romana inductum retinuerit, dum pro matrimoniis ordinandis gradus more teutonico tantum ex una parte numeraverit. Praeter casus in praecedenti titulo recensitos, in quibus ex denegata nonnullis facultate conficiendi testamentum vel in totum, vel quoad aliquas res, verificatur successio ab intestato juxta Ecclesiae canones, nempe quoad Clericos in bonis superfluis relictis, et quoad Re-

ligiosos, qui ante professionem solemnem testamentum non confecerunt: illis siquidem succedit Congregatio Spoliorum juxta datas limitationes; istis autem Monasterium si est possidendi capax: nunc nonnullos alios casus enumerabimus.

2.° Clerici cum de bonis patrimonialibus, vel industrialibus, aut parsimonialibus valerent quomodocumque disponere, si intestati decessissent, eorum bona secundum dispositionem *cap. 1 h. t.° « altari, cui servierunt, omnia perpetuo sanctificari, et in jus Ecclesiae tradi debebant. »* Ista tamen juxta communissimam interpretum sententiam ita sunt intelligenda, ut locum haberet Ecclesiae successio, si praeter defectum testamenti, defecissent quoque consanguinei in omnibus gradibus a jure civili vocati. Atque tunc praesens canon praescribebat eundem successionis ordinem, ac jus civile servandum praeceperat; nempe in successione prius venire vocatos a testatore, in quorum defectu veniebant agnati et cognati; quibus pariter deficientibus, veniebat Collegium, ad quod defunctus pertinisset, et in casu nostro Ecclesia, in qua erat incardinatus. Progressu autem temporis loco Ecclesiae illius singularis per Constitutiones jam relatas Romanorum Pontificum vocata est ad successionem Congregatio de Spoliis, et ubi non est id receptum, successit Fiscus episcopalis cum onere ea erogandi in causas pias, prout demonstrat Reiffenstuel *h. t.° num.° 63.*

3.° In aliquibus regnis, ut notabat Giraldi

op. cit. part. 1^a sect. 482, ea vigeat consuetudo, ut si quis etiam laicus intestatus decessisset, Episcopi testamenta efficerent, quae animarum vocantur, aliquid pro illius animae suffragio disponendo, licet haeredes superstites reliquisset. Quam consuetudinem, ubi non vigeat, Benedictus XIII in Concilio Romano *titul. 20 de Testament. cap. 2^o*, admonet Episcopos, ut subditos suos hortarentur amplecti. Hodie autem vix est quod hic pius usus possit locum habere in contradictione haeredum legitimorum, cum ex principiis generaliter receptis consuetudinis particularis nulla sit auctoritas, et insuper nulla habeatur ratio in iisdem legislationibus civilibus istius suffragii spiritualis, cujus meritum ab animali homine non potest intelligi, quia spiritualiter examinatur.

4.^o Quoad successiones intestatas eorum, qui in hospitalibus domibus aut nosocomiis decedunt, quaestio non est nisi de eorum Spoliis, vel rebus apud eos repertis, non vero de aliis proprietatibus, si quas praesertim immobilium bonorum habent; namque circa has jus commune, sicut pro caeteris, applicatur. Retinet autem consuetudo generalis, et constitutiones quoque particulares nonnullorum hospitiarum et nosocomiorum, ut ista Spolia et bona cedant domui, in qua receptae sunt istae personae et sunt demortuae. Imo eadem consuetudo generalis, ac praescriptiones speciales ferunt, ut de his rebus, ne valeat quidem testamentum aut donatio mortis causa componi; sed praedictae domui

ipso jure relictas censeantur. Quid tamen censendum sit de pecunia et mobilibus pretiosis in eas domos adsportatis, quod constituit factum singulare, non erit inutile, prout habet Giraldi *op. cit. part. 1^a sect. 483* sub oculos habere pro praxi sequentia Congregationis Concilii responsa ad dubia in *Pragen. facultatis testandi diei 8 Maii 1683* « inter Fratres Servorum B. Mariae Virginis Praegae, et Sancti Joannis de Deo, praetendentes » vigore assertorum privilegiorum, atque consuetudinis, bona morientium in ipsorum Nosocomiis, » et apud morientes reperta, eorundem Nosocomiorum commodo cedere debere: — I^o An aliquis » decedens in hospitali Fratrum Misericordiae Ordinis B. Joan. de Deo, qui in eodem hospitali » prius asportaverat pecunias, et alia mobilia, » possit de iis pecuniis, et mobilibus adsportatis » disponere per testamentum; ita ut dicti Fratres » teneantur tradere dictas pecunias, et mobilia pro » adimplenda voluntate defuncti; maxime si dispositio testatoris fuerit ad pias causas, et cum » onere Missarum? et quatenus affirmative: — » II^o An idem dicendum sit in casu, quo dispositio » non fuerit ad pias causas? — III^o An aliquo » decedente in dicto hospitali, nullo condito testamento, ejus substantia, ibi asportata, cedat totaliter hospitali, exclusis omnibus sanguine conjunctis, praesertim si hospitale de reliquo servetur indemne? — Sac. Cong. respond. ad I et II » affirmative, etiam de consensu partium. Ad III,

» negative, nisi constet de contraria consuetudine
» legitime praescripta. — Agebatur hic de pecunia,
» et mobilibus pretiosis, secum ad d. Nosocomium
» asportatis ab Antonio Ebertino Perusino, quae
» morti proximus ibidem testamento legavit di-
» versis personis, et signanter Ungaricos centum
» praefatis Fratibus Servorum cum onere Mis-
» sarum. »

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti O. P. S. P. A.

Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

I N D E X

LIBER III. PARS I.

DECRETALIUM GREGORII IX.

	PAG.
TITULUS I. De vita et honestate Clericorum	7
" II. De cohabitatione Clericorum, et Mulierum.	20
" III. De Clericis Conjugatis.	29
" IV. De Clericis non residentibus in Ecclesia vel Praebenda	38
" V. De Praebendis et Dignitatibus	85
" VI. De Clerico aegrotante, vel debilitato.	209
" VII. De Institutionibus	216
" VIII. De Concessione praebendae, et Ecclesiae non vacantis.	227.
" IX. Ne Sede vacante aliquid innovetur	236
" X. De iis, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli	239
" XI. De his, quae fiunt a majori parte Capituli.	242
" XII. Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.	250
" XIII. De Rebus Ecclesiae alienandis, vel non	269
" XIV. De Precariis	302
" XV. De Commodato	305
" XVI. De Deposito	308
" XVII. De emptione et venditione	318
" XVIII. De Locato, et Conducto	330
" XIX. De Rerum permutatione	337
" XX. De Feudis	344
" XXI. De Pignoribus, et aliis cautionibus	359
" XXII. De Fidejussoribus	357
" XXIII. De Solutionibus	362
" XXIV. De Donationibus.	371
" XXV. De Peculio Clericorum.	377
" XXVI. De Testamentis et ultimis voluntatibus.	382
" XXVII. De Successionibus ab intestato.	404